ROMA

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
47 H
27

Digitized by Google

Digitized by Google

8.47.H.27

VITA, ET GESTA VEN. SERVI DEI ALEXANDRI SAVLII.

Digitized by Google

Digitized by Google




VEN. SERVVS DEI
ALEXANDER
SAVLIVS
G. Caſtellus Sculp.

ALEXANDRI SAVLII

VIRI DEI

E CLERICIS REGVLARIBVS SANCTI PAVLI AD ALERIENSEM, DEINDE PAPIENSEM Epiſcopatum Aſſumpti

VITA, ET GESTA

PER R. P. DON IO. AVGVSTINVM GALLICIVM
Eorumdem Clericorum Prępoſitum Generalem
Collecta.

8.47.H.27

ROMAE, Typis IACOBI FEI ANDREAE F. M. DC. L[illegible]

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISSIMO D. N.
ALEXANDRO SEPTIMO
PONTIFICI MAXIMO

PRAEPOSITVS, ET CLERICI REGVLARES SANCTI PAVLI

Humillimam Reuerentiam, ac Obedientiam.

REDIVIVVS ad pedes, & manus Sanctitatis Veſtræ Beatiſs. Pater, exurgit Ven. Dei Seruus Alexander Saulius. Qui olim intra Sepulchri marmora iacens per ora tamen hominum magnificè volitabat, nunc tumulo adhuc preſſus, ſed non

omni obliuione premendus, ad vitale lumen oculorum Beatitudinis Veſtræ, velut ad Solem Heliotropium conuertitur. Si radio eum benigno tetigerint, oſſa arida ſpiritum vitæ denuò concipient, ſubtractoſque honores recuperabunt.

Quæ fuerint huius Viri Dei cunabula, quæ Infantis auguria, quę ſtudia Adoleſcentis, quę Religioſi merita, quę à Prępoſito geſta, quę in Solio Epiſcopali officia: Item quæ in Deum pietas, quæ in homines benefacta, quę corona virtutum, probabunt iſthæc monumenta, per ſodales ipſius in Veſtras manus Sanctiſsimas porrigenda; efficientque (quod ſperamus) vt ſi reducem vlnę Veſtræ amanter accipiant, non vltra obliteratus, & in terris inglorius obdormiat.

Serus

Serus accedit; tutior inde ſcripto fides, quod neque ſcriptor audax excogitarit, neque annus poſt tumulum pene ſeptuageſimus potuerit abſumere. Cùm primum Lynceus oculus Veſtræ Sapientię introſpexerit volumen iſtud, dubio procul priſtinum ſplendorem, & cultum emortuo à benignitate Veſtra reſtitutum iri confidimus. Vti etiam ad maiorem diuinæ bonitatis gloriam, & populi Chriſtiani profectum, longæuos Beatitudini Veſtræ annos, incolumes florenteſq; enixè comprecamur.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

IN huius ſæculi triſtem, ærumnoſamque faciem oculos ſi conieceris, Sapientiſsime Lector, & enumeraueris malorum vndas ſibi inuicem ſuccedentes, cognoſces vtique, intra huius aeris conuexa perpetuam homini ſedem non fuiſſe a cõditore defixam: ſed per has mortalis vitæ moras ad meliorem præparari, expectarique diem, quæ hinc ereptos illi beatæ perennitati, vndè proceſsimus, nos reddat fælices. Verum cum eò longiſsimus ſit itineris tractus. viæque tortuoſæ, tenebroſæ, & inſidijs obſtruſæ, argues profecto, & luce nobis opus eſſe, quæ caligines diſcutiat, & duce qui anfractus viarum detegat, & inſidias. Accurriſſe quoque obſequio noſtro Deum Optimum Maximum profitebere, ſi aduertas, illum pro

Digitized by Google

ſua ineffabili, ac prouida ſapientia nil minus has inferiores mundi plagas aſtris prælucentibus, quam ſuperiores orbes syderibus inter ſe iubar commiſcentibus illuminaſſe. Quid enim ſunt in terris tot homines doctrinæ, virtutumque radijs coruſcantes, quam pellucidæ quædam ſtellæ in firmamento Eccleſiæ ad illuminandos, qui in tenebris ambulant mortales, & dirigendos eorum greſſus in æternæ pacis viam? Neque putet quiſpiam, elapſis dumtaxat temporibus datam iſtiuſmodi prærogatiuã: nnllum ſæculum magnis, probiſque viris clauſum, nulla ætas virtutibus imperuia; ſuos temporibus Soles ſuſcitat Dei clementia; ſua tempeſtiuè exponit exemplaria vitæ ſanctioris. Et vtiliter quidem; licet enim priſca Virorum illuſtrium facta ſatis acuminis habere videantur, vt eorum lectione animi poſterorum ad virtutes capeſſendas extimulari debeant, fatendum tamen eſt, temporum vetuſtate non nihil

retuſam

retuſam aciem illam nouitate præſentium iterum eſſe exacuendam; Cùm magis vrgere ſentiamus, quæ oculis ſubiecta inſpicimus, quam quæ ſolo aurium, aut lectionis beneficio haurimus. Qua de cauſa fertili ſanctitate redundans Cælum Eccleſiæ poſtremo etiam ſæculo renouatam in ſe optimorum Virorum ſobolem copioſè recenſet: in quorũ cætum non venit vltimus Seruus Dei Alexander Saulius è Congregatione Clericorum Regularium Sancti Pauli ad Solium Epiſcopale euectus; Vera Epiſcopalis officij Idæa, & ad Chriſtianam perfectionem aſpirantibus præuium lumen. Huius Viri mirabilem vitam, & heroica facinora ſtrictim deſcribenda ſuſcipimus, æſtimantes non mediocre beneficium, geſta virorum præſtantium litteris mandaſſe, vt quibus eorum egregia facta coram contemplari non licet, ſaltem in paginis exarata intueantur, inueniantque denuò quam inſpectent lucem, quem in

curriculo ſectentur ducem.

Illud ſanè nos in primis dolemus, hunc V en. Dei Famulum in ea tempora, & loca, in eam quoque contubernalium conditionem incidiſſe, per quos de eius dictis, & factis parum obſeruatum eſt, parum ſcripto adnotatum. Dedit incunabula pietatis Domus paterna; ſeceſſus Religioſus incrementa; Epiſcopalis dignitas coronidem. Incunabula ſi reuoluas, vix aliquid relatum accipies. Si domicilium Clericale, inter eos verſatus eſt, qui ſe magis virtutis patratores, quam ſcriptores profiterentur, curæ, & laudis operi longè amplius, quam Stylo, & ceræ tribuentes. Si Epiſcopale munus, in ea Corſicæ loca delatus fuit Epiſcopus, vbi quantumlibet mirandis operibus, & prodigijs emicuerit, præſentium tamen ſiue incuria, ſiue imperitia, ſiue etiam ſcriptoris raritas, aut neglexit penitus, aut obſcurè indicauit non nemo, dimidiata, & magna parte detruncata ad nos

trans-

tranſmittens. Adde (quod ſtudioſorum humilitatis eſt proprium) quam latenter poſſet ille à ſe laudabiliter acta oculis mortalium ſurripiebat, vni Deo patefacienda, à quo meriti præmium foret expectandum.

Sequar tamen, & fideliter, ac compendioſè in hos libellos redigam, quæ tum ab antiquioribus libris Aleriane, ac Ticinenſis Diæceſis, tum Ordinis noſtri monumentis, nonnullis quoque ipſius, & amicorum epiſtolis excerpta ſunt: Præterea quæ ab iſs relata, qui ſe præſentes vidiſſe teſtantur, & tanquam oculati teſtes iurati de ſcripto coram iudicibus expoſuerunt: vel certè ab iſs deſumpta, qui ſe à viris fide dignisſimis didiciſſe ſcripſerunt, vt hoc pacto veritati ſemper ſuus ſit locus. In tres libellos opuſculum ſecabo. Primus, quæ Epiſcopale munus præceſſere: alter, quæ geſsit Epiſcopus: Tertius, diſtinctam, & ſingularem virtutum ſpeciem, demonſtrabit. Stylo facili, & illaborato deſcribuntur

omnia:

Digitized by Google

omnia: neque enim nimium operæ in verbis impendi iuuat, vbi propinatur ſimplex veritas; neque nobis exquirenda ſunt, quæ fucata dictionis illecebris lectorem detineant, ſed quæ proſint. Faxit Deus, vt ex ijs quanta maxima laus, & gloria Deo accreſcat, Venerabilis Serui Dei Alexandri illuſtrior abeat per Eccleſiam Chriſtianam virtutum, ac meritorum fama: nobis ad pietatis præſidium aliquid accedat adiumenti.

Digitized by Google

Proteſtatio Authoris.

CVm Sanctiſs. D.N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sac. Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij ann. 1634. quo inhibuit Imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunque beneficia, tamquam eorum interceſsionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij: & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata: Idem autem Sanctiſs. die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem, cum Proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes Auctorem. Huic decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, qua par eſt, inſiſtendo profiteor, me haud alio ſenſu, quicquid in

hoc

hoc libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem Diuina, Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur; ijs tantummodo exceptis quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, ac Martyrum Cathalogo adſcripſit.

Ita eſt, ita profiteor Ego Don Io: Auguſtinus Gallicius Cleric. Regular. Sancti Pauli.

Google

Don Io: Angelus Boſſius , maior ex Aſſiſtentibus M. Reu.Patris Præpoſiti Generalis Congregationis Clericorum Regularium S.Pauli .

CVm Vitam Ven. Serui Dei Alexandri Saulij, Epiſcopi Aleriensſis, & poſtea Ticinenſis, ex Clerico Regulari Sancti Pauli; ab adm. Reuerendo Patre Præpoſito Generali noſtro, Don Io: Auguſtino Gallicio collectam, duo, quibus id commiſimus, Congregationis noſtræ eruditi Viri recognouerint, & probauerint; facultatem facimus, quantum ad Nos ſpectat, vt Typis mandetur. Dat. Mediolani, in Collegio noſtro SS. Apoſtolorum Pauli, & Barnabæ, die decima Aprilis 1660.

Don Io: Angelus Boſsius.

OPus inſcriptum (Alexandri Saulij Viri Dei e Clericis Regularibus S. Pauli ad Alerienſem, deinde Papienſem Epiſcopatum aſſumpti, Vita, & geſta per Reu. Pat. Don Ioannem Auguſtinum Gallicium, eorundem Clericorum Præpoſitum Generalem collecta) Iuſſu Reuerendiſſimi Patris Raimundi Capiſucchi Sac. Pal. Apoſt. Magiſt. accurata animaduerſione luſtraui. Nihil in eo vel moribus optimis, vel Pontificum decretis, vel orthodoxæ fidei diſſonum reperi; immo ſingula quà pietate, quà eloquutione conſpicua. Quamobrem cedro, nedum prælo dignum cenſeo.
Ex ædibus S. Andreæ de Valle Romæ die 9. Septemb. 1660.

Ego D. Franciſcus Biſcia Cler. Reg. S.T.P.

a Imprima

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

O. Archiep. Patraſs. Viceſger.

Imprimatur.

Fr. Raimundus Capiſuccus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſt.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Seu ſumma eorum, quæ de Ven. Seruo Dei ALEXANDRO SAVLIO In hoc Opere traduntur.

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Natales, & Ortus.

ALEXADER Genua oriundus: Naſcitur Mediolani, die 15. Martij ann. 1535. Dominico Saulio Patre, & Thomaſina Spinula Matre. pag. 2.

Nomen in baptiſmo traxit ab Alexandro Bentiuolo ſuſceptore. 4.

Auorum quos imitetur ſingularia exempla. 5.

Digitized by Google

CAP. II.

Indoles, Educatio, & Studia.

BONA Indoles, & egregiæ animi dotes. 6.
Educatio: ibidem.
Studia litterarum, & Magiſtri, 7.
Seruatus à turpi naufragio iuuentutis, ibidem
Iuuenilia exercitamenta pietatis. ibidem.
Cultus erga B. V. cui & caſtimoniam vouet. 8.
Candor, & modeſtia, alijque mores iuueniles, ibid.
Pietas, & obtemperantia, erga parentes, 9.
Ingenita miſericordia in pauperes. ibidem.
Pro illis ſtipem quæritat, & de domo paterna ſubtrahit. ibidem.
Cura caſtimoniæ. Sobrietas Vigilantia, &c. ibidem, & ſeq.
Ornandis altaribus puerulus intendit. 10.

CAP. III.

De cœleſti inſtinctu, & præludijs ad vitam Religioſam.

ANNO vitæ 17. aſpirat ad vitam Cœnobiticam. Quibus motus de cauſis. 11.
Propendet in Congreg. Clericorum Reg. S. Pauli, & in ea petit adſcribi. 12.
Fiunt experimenta vocationis. 13.
Ad ſingula reſpondet conſtanter, & appoſitè. ibid.
Humilitatem, & pudicitiam cœteris præfert virtutibus, & quare. 15.

Diſsimulat

Diſſimulat quod illi opponitur, de appetentia Epiſcopatus. ibid.
Crucem humero defert per compita vrbis Mediolani in habitu ſeculari. 16.
Circulatorem de pegmate trudit. ibid.
Crucis trophęum eleuat. ibidem.
Sermonemque habet ad populum. 17.

CAP. IV.

Alexandri ingreſſus in Ordinem, Tyrocinium, & Progreſſus.

ADMITTITVR tyrunculus in Cœnobio S. Barnabæ. 17.
Induitur habitu ordinis, in die aſſump. B. V. anno 1551. 18.
Ad apices perfectionis Religioſę tendit. 19.
Tyronis dictum. ibidem.
Debellat prauos animi affectus. ibidem.
Genium propenſiorem ad ſtudia contemperat. 20.
Vim ſomni vt ſuperauerit. 21.
Timorem, & iuuenilem erubeſcentiam quomodo vicerit. 22.
Clericalem ſtatum monaſtico pręfert. 23.
Amor Religioſæ paupertatis. ibidem.
Studium diuinæ meditationis. 24.
Ardor, deliciæ, & deliquia in vſu Euchariſtiæ. 25.
Quid audiret mente inter Communicandum cum Chriſto. ibidem.

CAP. V.

CAP. V.

Religioſa vota emittit

IN feſto Dedicationis S. Michaelis Archangeli an. 1554. pag. 26.
Adamuſſim ſeruat, & pariter ſtatuta ordinis. ibid.
Etiam Epiſcopus Conſtitutiones ordinis frequẽs lectitat. 27.
Singularis vitæ innocentia. ibid.
Legibus Nouitiorum ante annum ſoluitur. ibid.
Immo, & curæ cœterorum preficitur. 28.

CAP. VI.

De litterarum ſtudijs, & progreſſu.

QVIBVS præſidijs ſe munit ad ſtudia litterarum. ibid.
Copulat ſtudia pietatis, ac litterarum. 29.
Reſtringitur illi vſus, & lectio authorum. ibid.
Fructus inde perceptus. 30.
Summam B. Thom. ad vnguem memoria tenet. ibid.
Poſitiones Logicas, Phyſicas, Metaphyſ. & Theologicas publice propugnat. ibid.
Prima concionandi exercitamenta.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

C A P. V I I.

Sacris Ordinibus, & Sacerdotio initiatur.

SVBDIACONATVM, & Diaconatum ſuſcipit. 31.
Controuertitur Sacerdotium propter defectum ætatis. ibid.
Gradum Sacerdotalem expaueſcit. 32.
Sed ſubiacet maiorum arbitrijs. ibid.
Quibus medijs ſe comparat ad Sacerdotium. ibid.
Initiatur Sacerdotio. an. 1556.
Primum ſacrum facit in Dominica in Albis, magno virtutum apparatu. 33.

C A P. V I I I.

In ſacras conciones incumbit.

PRAEPARATIONES ad miniſterium verbi Dei. 34.
Doctrina ſana. 35.
Quos haberet familiares Doctores. ibid.
Stylus non fucatus, ſed vtilis, feruens, & clarus. ibid.
Fama eloquentię. 36.
Plauſum eloquentiæ humilioribus actionibus temperat. ibid.
Ticinum mittitur ad fundandum Collegium. ibid.

Medio-

Mediolani epiſtolas Pauli de ſuggeſtu interpretatur. 37.
Methodum rectè concionandi iunioribus pręſcribit. ibid.

C A P. I X.

Magiſteria.

PHYLOSOPHIAM, ac Theologiam Ticini docet. 38.
Docentis ſcopus, methodus, ac fructus. ibid.
Lectiones pręuenit ſtudio, diuina prece, & ieiunio. 39.
Fugit altercationes ſciolorum. ibid.
Regulas ſtudiorum noſtris definit. 40.
Laurea Theologię Ticini inſignitur. ibid.
Munus publici Doctoris non obijt niſi intra domeſticos parietes. ibid.
Multis pręterea pietatis officijs intendit. 41.
Cœnobij Ticinenſis Prępoſitus. ibid.
Exemplum religioſę humilitatis. 42.

C A P. X.

Inuitus præponitur regimini ſui Ordinis.

AD Comitia ſui ordinis delegatur. 42.
Scrutator ſuffragiorum eligitur. 43.
Item Comitiorum Præſes. ibid.

Deniq

Deniq; Congregationis Præpoſitus Generalis. ibid.
Futurę electionis Prognoſtica . ibid.
Secundo, ac Tertium Pręp. Generalis. 44.
Oblatam Pręfecturam reſpuit . Coactus ſubit. ibid.
Ornamenta , & exempla virtutum in Prępoſito. 45.

C A P. X I.

Regiminis leges, & Acta præcipua.

PRAELVDIA ad bonum regimen . Aſſiduitas precum . Conſtitutionum Ordinis cuſtodia . Imitatio Apoſt. Pauli . 46.
In primis curat quæ ſunt diuini cultus . 47.
Abſoluit, ornat, & ditat templum S. Barnabæ.ibid.
Sumptuoſum ferculum Reliquiarum a S.Carolo acceptum collocat in Ara maxima S. Barn. ibid.
Eccleſiarum ſuarum miniſtris fert leges. 48.
Cantum , & hymnodiam moderatur. ibid.
Iura ſuæ Eccleſiæ tuetur. 49.
Fouet diſciplinam Regularem . ibid.
Amore magis quam timore ſuos regit. ibid.
Delictis tamen minime conniuet . 50.
Non flectitur Principum litteris cōmendatitijs. ibid.
Conſultorum ſuorum ſententijs plurimum defert. ibid.
Concedit congrua conſultandi interualla . 51.
Sępe ad comitia defert. 52.
Oculatus in nouitiorum delectu . ibid.
Spreta etiam ſpe rei amplificandæ . ibid.
Inuigilat maxime educationi nouitiorum . ibid.
Recenter profeſſos retardat a dandis ſuffragijs . 53.
Cura ſtudiorum liberalium. ibid.

Digitized by Google

Quæ vniuerſim præcepta ſãctitatis tradit adultis. 54.
Aegrotis, ac ſenibus magna charitate ſubuenit. ibid
Summa regiminis Alexandri. ibid.

CAP. XII.

Qualis in exteros.

PERVTILIS cunctis tribulibus. 55.
Parenti præcipue, & eius domeſticis. 56.
Item familijs Vicecomitum, Cuſanorum, & Sfondratorum. ibid.
Inter illos Nicolaus Sfondratus qui poſtea fuit Gregor. XIV. ibid.
Cænobijs Sanctimonialium operam nauat. 57.
Angelicarum Sancti Pauli regimini præeſt. 58.

CAP. XIII.

Epiſcopatum Aleriensem recuſat.

FAMA Alex. penetrat Curiam Romanam. 58.
Deſignatus a Pio V. Epiſcopus Aleriæ. 59.
Appoſitè, & quare. 60.
Epiſcopatum Aler. renuit, dolens abduci a Cænobio. 61.
Quibus artibus ſatagit ſe ab eo expedire. ibid.
Eius commendatio in Epiſtolas S. Caroli. 62.
Item in epiſtola Cardinalis Serbellonij. 65.

CAP. VI-

Digitized by Google

CAP. VLTIMVM.

Epiſcopatum Alerienſem inuitus ſubit.

COMITATVR S.Carolum in villam Carinianam. 68.
Præceptum Pontificis ibidem ei a S. Carolo denunciatur. *69*.
Obtemperat expeditè. ibid.
Abdicat ſe a regimine Congr. & parat ad initiationem Epiſcopalem. ibid.
Sacratur Epiſcopus a S. Carolo in Cath. Medipl.an. 1570.
Aſſidentibus Hyppolito Rubeo, & Hieronymo Ragazzonio. 70.
Adornat profectionem in Corſicam. 71.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Profectio Alexandri in Corſicam.

AEGRE' deſerit Cœnobium. 73.
Quid ſuper ea re ſenſerit. 74.
Adduntur illi comites ex ſuo ordine. ibid.
Leges illis præſcriptæ. 75.
A Dominico patre ægrotante diuellitur. 76.
Genuam pergit, & quę illic egerit. 77.
Nauigans extrema parentis intelligit;

Pergit tamen ad ſua ouilia. ibid.
In Corſicam peruenit elapſus de manibus Turcarum, 78.

C A P. I I.

Diæceſis Alerienſis facies; & quomodo illam curare cœperit.

CVLTVRAM Eccleſiæ ſuæ ſylueſcentis animoſus ſuſcipit. 80.
Bonum augurium de occurſu plebis. 81.
Diuertit in oppidum Baſtitæ ad Gubernatorem Inſulæ. ibidem.
Inde Talonum vbi primam ſedem ponit.
Et munera Epiſcopalia exercet. ibidem.
Ad pagos properat eadem acturus. 82.
Aegrotat. ibidem.
Ne cępta retardentur apparatum medicamentorum reſpuit, inedia contentus. 83
Curæ interim animarum inſiſtens. ibid.

C A P. I I I.

Luſtrat Diæceſim.

ADHVC imbecillis viſitationem Diæceſis inchoat anno primo, paucis cum miniſtris. 83.
Ritus agendi in viſitationibus. ibidem.
Quanta mala ſit perpeſſus inter viſitandum. & quã hilariter. 85.
Rerum Eccleſiaſticarum, & Cleri Alerienſis ſubuerſio. 86.

Nititur

Digitized by Google

Nititur in meliorem ordinem redigere . ibidem.
Solus gemit ſub pondere . ibidem .
Pernicioſos Sacerdotes tolerare cogitur , cùm alios non habeat . 87.
Prudentia in corrigendo . 88.
Conſtantia , & animi præparatio ad omnia aduerſa. ibidem .
In viſitatione nulli grauis . Menſa frugalis . 89.
Vltra primum diem victitat ſuis ſumptibus . 90.
Catecheſim vbique inſtituit . ibidem .
Viſitat quotannis vel per ſe , vel per delegatos impenſas illis ſuppeditans . ibidem .

CAP. IV.

Synodum celebrat.

COgit Clerum ad Synodum. 91.
Hoſpitio excipit , & alit . 92.
Synodum pijs precibus, & operibus præuenit. ibid.
Authore Alexandro recipiuntur acta Concilij Tridentini . ibidem .
Monita , & decreta ſalutaria Typis impreſſa Clericis diſtribuit . 93.
Iniungit opus doctrinæ Chriſtianæ . Methodum , ac leges præſcribit . 94.
Prȩeſt ipſe lubentiſſime . ibidem .
Vicarios foraneos inſtituit . 95.
Docet modos ſacræ meditationis . ibidem .
Quomodo ſoluat Synodum . ibidem .

Digitized by Google

CAP. V.

Clericorum Seminarium inſtituit.

EMIT domos pro Collegio Clericorum. 96.
Suppeditatque neceſſarias. ibidem.
Seligit adoleſcentes magis idoneos. ibidem.
Seminarium inchoat Taloni. 97.
Erudit ipſemet. Omnia ritè ordinat. ibidem.
Domi apud ſe alios ſuſtentat. 98.

CAP. VI.

De aſſiduitate, & ſtudio prædicandi verbi Dei.

NVSQVAM beneficium prædicationis ſubtrahit. 98.
Manè Euangelia: Veſpere Epiſtolas Pauli, aut pſalmos explicat. 99.
S. Carolus eius ſermonibus mirificè oblectatur. ibidem.
Extemporia dicendi fęlicitas.
Populorum confluxus. ibidem.
Doctrinam exemplis vitæ probat. 100.
Prædicationes minimè exargues, aut frigidæ. ibidem.
Panigarolæ, & S. Caroli prеclarè dictum de Alexandri arte concionandi. ibidem.
Ardor dicendi ſupra humanum morem. 101.
Optat in ſuggeſtu mori, dum vel in vnius animę ſalutem cedat. ibidem.

Vſus

Vſus meditationis, ac orationis ante prædicationẽ. 102.
Quid ſentiat de Eccleſia abſque Epiſcopi prædicatione. ibidem.
Alumnos Seminarij exercet in arte concionatoria, ibidem.
Parochis iniungit, aut concionari, aut publicè legere libros ſpirituales. 103.
Concionatores aliunde exquirit. ibid.

CAP. VII.

Sacramentorum miniſterio ſtudiosè vacat.

VACAT miniſterio ſacri baptiſmi. 104.
Magis Sacræ Pœnitentiæ,& Euchariſtiæ.105.
Confirmationis vſum reſtituit. ibid.
Diligentia in conferendis ordinibus ſacris. 106.
Inopes Clericos dũ inſtruit in Palatio ſuo alit. 107.

CAP. VIII.

Sedem Epiſcopalem ad oppidum Baſtitam transfert.

TALONO migrat Baſtitam, & Quare. Indulget Pontifex. Placet Epiſcopo Marianenſis, & Reip. Genuenſi. 108.
Extra ſua ouilia tranquille non quieſcit. ibid.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IX.

Romam pergit ad limina Apoſtolorum.

ALEXANDRI iter agentis pia opera. 109.
Cœnobia Religioſa præfert principum palatijs ac diuerſorijs. 110.
Romæ benignè exceptus à Pontifice. ibidem.
Impetrat obfirmari penſionem ſcutorum 300. pro Seminar o ſuſtinendo. 111.
Congreſſio Alexandri cum S.Carolo Romæ. ibidē.
Init amicitiam cum S.Philippo Nerio. 112.

CAP. X.

Habitat in Balanea, & quæ ibi præclarè gerit.

BASTITAM deſerens in prouinciam Balaneam diœceſis ſuæ transſmigrat. 111.
Traducit Seminarium in Algaiolam Balaneæ. ibid.
Sponſalia infantum nondum natorum abolet. ibid.
Præficas eijcit ab Eccleſia. ibidem.
Profanos ritus, ac ſuperſtitiones tollit. 114.
Virum hereticum perfidiam publice deierare cogit. ibidem.
Rixas, & bella miris modis ſedat. 115.
Deferri haſtas in templa vetat. 116.
Io: Baptiſtam Montium ſanat à febri. ibidem.

CAP. XI.

CAP. XI.

Romam ſecundo pergit, &c.

PARSIMONIA iter agentis. 117.
Conciones habet in æde S. Ioannis Florentinorum, S. Philippi Nerij oratorio. ibidem
Ad S. Laurentium extra muros concionatur ex tempore corã Pontifice, & ampliſſimo comitatu. 118.
Suggerentes curandam eſſe commodiorem Eccleſiam minimè audit. ibidem.
Seda ingentem procellam prope Elbam. 119.

CAP. XII.

Graui infirmitate ſanatus, Iubilæum cum ſuis celebrat.

GRAVEM ęgritudinem patiẽter tolerat. 120
Parat ſe ad extrema. 121.
Vicini Epiſcopi ſolantur ęgrotum, & Sacramenta deferunt. ibidem.
Infirmitate liber Mediolanum tendit ad S. Carolum, & ad ſuos Patres. ibidem.
Reuerſus, Iubilæum cum ſuos peragit. ibidem.
Publicam ſupplicationem, nouo pietatis, & pænitentiæ exemplo celebrat. 122.
Alia eius temporis inſignia opera charitatis, & pietatis. 123.

CAP. XIII.

Ad Curtem plebis Talcini migrat.

CVR à Balanea receſſerit. 124.
Domum alteram Epiſcopalem in oppido Curte conſtruit. ibidem.
Quam ſuccedentibus Epiſcopis reliquit. ibidem.
Hic totus eſt in ciuium pacatione. ibid.
Authoritatem Eccleſiaſticam conſtanter tuetur, & infeſtum hominem ſub iugum Eccleſiæ redigit. 125.

CAP. XIV.

Tranſmigrat Ceruionem, &c.

CERVIONE Campilaurei ſedem ponit. 126.
Eccleſiam Cathedralem, Aedes Epiſcopales, & varia hoſpitia ædificat. 127.
Nuſquam patitur affigi inſignia gentilitia. ibidem.

CAP. XV.

Tertium iter ad Vrbem meditatus ſiſtitur.

TERTIVM iter ad Vrbem meditatus ſiſtitur vt extremis pauperum anguſtijs proſpiciat. 127
Pauperes pro filijs habet. 128.
Ex conſilio S.Caroli ad curã egenorum redit. ibid.
Coaceruat ab amicis pecunias in ſubſidiũ pauperũ. 129.

Sarcinas

Sarcinas itineris ideo vendit. ibid.
Nauim cibarijs onuſtam præmittit. ibidem.
Quingentos, ac ſexcentos inopes alit. ibid.

CAP. XVI.

Quomodo ſe geſſerit in graui peſtilentia.

PESTILENTIA irrepit in Corſicam anno 1580. pag. 130.
Alexander inſtat ardentius orationibus, & corporis afflictationibus. ibid.
Dominicum, ieiunia, ſupplicationes indicit. 131.
Supplicationibus idem ipſe intereſt. ibidem.
Terret concionibus. ibidem.
Omni re ſubleuat ægrotos, & calamitoſos. 132.
Sacramenta miniſtrat manu ſua. ibidem.
Caute tamen. 133.
Prorogat preces, ac ſupplicationes: magna cum cautela. ibidem.
Suadentes ſeceſſum nequaquam auſcultat. ibid.
Alexandri inſignis charitas, & conſtantia. ibid.
In pagos, & caſtella propagat charitatem. 134.
Contubernales Seminarij, & domeſticos ſuos peſte infectos ſolatur. ibidem.
Prędicit ſalutem omnium. ibidem.
Manus impoſitione multos ſanat. ibidem.
In ijs Aſtulphum ſeruum. ibidem.
Creſcit fama ſanctitatis. Vis benedicentis. 135.
Abeunte peſte ſuffumigantur domus. ibid.
Aguntur Deo gratię. ibidem.
Soluuntur triduana funebria defunctis. ibidem.
Fructus ſpirituales ab Alexandri charitate. ibid.

CAP. XVII.

Recuſat Archiepiſcopatum Genuenſem.

DEFERTVR Alexandro Archiepiſcopatus Genuenſis. 136
Oracula diuina prius conſulit. 137
Rationes ſuſcipi ſuadentes. ibidem.
Rationes diſſuadentes. ibidem.
Nil humanæ prudentiæ in his conſultationibus. 138
Stat fidei datæ, reijcitq; ſecundas nuptias. 139.
Delegat Nuncium ad Gregor. XIII. & ad Rempub. Genuen. ibidem.
Epiſtola Cleri,& populi Alerien.pro retinendo Epiſcopo. 140.
Pontifex decernit,non amoueri ab Aleria Alex. 142.
Alexander item reſpuit Epiſcopatum Derthonenſem. ibidem.

CAP. XVIII.

Pauperibus in noua charitate annonæ ſubuenit.

NONA annonæ charitas in Corſica. 143.
Alexandri prouidentia. ibidem.
Egenos quadringentos quotidiI paſcit. 144.
Sacellum in caſtro Aleriæ ædificat, & ornat ære ſuo. ibidem.
Eidem addit presbyterum ad celebrandum ſacra pro militibus præſidiarijs. ibidem.

CAP. XIX.

Romam tertio proficiſcitur, ſtipendia Canonicorum, &c.

AMANTER excipitur a Sixto V. 145.
Augeri ſtipendia, numerumque Canonicorũ ſuę Eccleſię rogat Pontificem. ibidem.
Auget ex reditibus Epiſcopi, & beneficiorum attributione per diploma Pontificium. 146.
Addit Archidiaconum, & Theologum. ibidem.
Coguntur Canonici reſidere prope Cathedralem, & obire officia eccleſiaſtica, ibidem.
Lauretum pergit, inde Venetias. 147.
Duo millia nummum impendit comparandis ſacris veſtibus. ibidem.

CAP. XX.

Traducitur ab Eccleſia Alerienſis ad Ticinenſem. Aleriæ iurt dictus Apoſtolus.

GREGORIVS XIV. Alexād. amiciſſimus. 147.
Deſignat ipſum Epiſcopum Papiæ. 148.
Angeli nomine appellat. ibidem.
Alexander eligitur Epiſcopus Papienſis, inſcius rei. ibidem.
Papienſium lætitia. 149.
Corſorum męror, & luctus. ibidem.
Cogente Pontificis mandato Aleriam deſerit. ibid.
Pinguiores Eccleſias aliaquin nunquam prętuliſſet Alerienſi. ibidem.

Litteris

Litteris paſtoralibus, & largitionibus ſolatur oues męrentes. 150.
Mutuus Alexandri & populi fletus. ibid.
Iure dictus Apoſtolus Aleriæ. Rationes. ibid.
Romam contendit. 153.
Dulcia Gregorij, & Alexandri colloquia. ibid.
Gregorius Alexandrũ parat inſignire purpura Cardinalitia. ibid.
Alexander Epiſcopatum Papienſem renuit. ibid.
Rogat in ordinem ſuum dimitti, ſed nil proficit, ibidem.
Obtemperat Vicario Chriſti, Chriſtum in illo reputans. 154.
Roma diſcedit. 155.

CAP. XXI.

Ingreſſus in vrbem Ticinenſem.

ROMA Genuam traijcit ægrotans. 155.
Inde Mediolanũ ad Patres ſuæ Cõgreg. ibid.
Multa confert cum Carolo a Baſilica petri Præpoſito Generali. ibid.
Bonam Epiſcopi famam præfert rei domeſticę. 156.
Cogitur expectare apparatum ſui ingreſſus, ibid.
Præoptat priuatum;& dari interim impendia pauperibus. ibid.
Indulget votis ciuium, propter gradum Epiſcopalem. ibid.
Ex obitu Gregorij XIV. auguraturinſtare ſuum. 157.
Aliquid de pompa ingreſſus. ibid.
Honor Epiſcopis iure debitus. 158.

Quid

CAPITVM.

Quid ageret Alex. inter illas celebres glorias. ibid.
Obitum ſuum prędicit intra eundem annum. 159.
Capeſſit dignitatis inſignia, & ſedet in ſolio epiſcopali. ibid.

CAP. XXII.

Acta in epiſcopatu Ticinenſi.

TICINVM ſeu Papia opportuna ſedes Alexandro ſeni. 160.
Diſciplinam Chriſtianam maximè curat. ibid.
Acerrimus propugnator Concilij Tridentini. ibid.
Sacrum cultum reparat. ibid.
Frequens & primus ad hymnodiam. ibid.
Patientię ac pietatis rarum exemplum. ibid.
Studium nitoris Eccleſiaſtici. ibid.
Auget reditus Canonicorum. 162.
Reliqua epiſcopalis officij geſta. ibid.

Diœceſim viſitat, & grauiter ægrotat.

CAP. XXIII.

SYNODVM ac Viſitationem Diœceſanam celebare parat. 163.
Viſitationem inchoat exacto Maio. ibid.
Peragit eodem ritu ac in Corſica. ibid.
Vectus Ticino flumine opinioni patrati miraculi dat locum. 164.
Papiam redit concionaturus in feſtis B. V. ibid.
Ardor inter viſitandum. ibid.
Conſulentes reſpirare repellit. ibid.

Pie

Piè, & ſtrenuè dictum Alexandri. ibidem.
In oppido Baſignano Sacras habet Ordinationes. 165.
Calozeum in agro Aſtenſi peruenit. ibidem.
Præfert domunculam Presbyterij ædibus dynaſtæ. ibidem.
Peractis munijs Epiſcopalibus podagra, & febre corripitur. ibidem.
Aegrotans traducitur in hoſpitium Herculis Rotarij dynaſtę. ibidem.
Carlotæ Rotariæ pietas, & famulatus erga Alexandrum ęgrotum. ibidem.

CAP. XXIV.

Mors, & funus.

DECLINANS ad mortē quid diceret. 160.
Intelligens adeſſe metā vitę quid egerit. 167.
Confeſſionem generalem triduo peragit. ibid.
Nouum condit teſtamentum. ibidem.
Quæ legauerit. ibidem.
Optat ſepulturam in imo pauimento eccleſię, & ſine pompa. ibidem.
Sacrum Viaticum ſumit. 168.
Feruidus ſermo Alexandri de Sacra Euchariſtia. ibidem.
Fides incomparabilis in myſteria Chriſtiana. ibid.
Morientis conſtantia, & animus ad labores paratus. ibidem.
Lacrymans veniem a ſuis rogat, & precum ſubſidia. 169.
Inclyta, & manifeſta ſalutis fiducia. ibidem.

Oleo

Oleo ſacro vngitur. ibid.
Præcipit ſibi legi lamentationes Ieremiæ & Chriſti paſſionem. ibid.
Dum legitur paſſio Domini cęleſtes Hierarchias conſpicit. 170
Conformatis in crucem brachjs, & cruribus ſpiritū Deo reddit die. 11. Octob. 1592. ætat. 58. ibid.
Statura, & totius corporis forma. ibid.
Luctus, & funeris præparatio. ibid.
Suauecolentia de viſceribus. 171
Quę Calozzi aſſeruantur. ibid.
Cadauer Papiam per flumen transfertur. ibid.
Siſtitur in templo S. Bartholomæi. ibid.
Concurſus, & veneratio populi. ibid.
Suauecolentia ex cadauere. ibid.
Feretro magnificè adornato in Cathedralem defertur. ibidem.
Orationē funebrem habet Don Iacobus Antonius Caroleus. ibid.
Terræ mandatur in pauimento templi. ibid.
Epitaphium. 172

LIBER TERTIVS

CAP. I.

De fide.

ARGVMENTA fidei Alexandri. 175
Scutum fidei. 176.

Hebrȩorum aliquot ad Chriſti fidem conuertit. 177
Lumini fidei ſociat ſcientias Theologicas . 178

C A P. I I.

Catalogus operum Alexandri.

PRAECLARA opuſcula compoſuit, edidit, & gratis dabat. 179
Vnde hȩc documenta collegerit. 180
Ven. Franciſci de Sales commendatio libri Alexandri. ibid.

C A P. I I I.

De Prophetiæ dono.

PROPHETIAE ſpiritu non caruit. 182
Probationes variæ. ibid.
Procellam præſagit, & eo monente euitatur naufragium. 183
Bartholomȩo Mucantio ſanitatem ex alieni reſtitutione prȩdicit. ibid.
Hyppolitȩ Brippiȩ incolumitatem futuram in die Purit. B. M. 184
Abſoluendum eo anno ædificium Conuentus Franciſcanorum. ibid.

CAP. I·V

CAP. IV.

De Spe.

SPERAT à Diuina clementia æternam beatitudinem. 185
Quibus prẹſidijs viam ſibi ſtrauit ad illam. ibid.
Indicia ſpei. 186
Fundamenta fiduciẹ. 187
Inſignes actus fiduciẹ in Deum, & opem diuinam. 188
Sperantis fiduciam bonis euentis approbat Deus. 189
Prẹcipuè ſodata tempeſtate ad Inſulam Canariam. ibid.

CAP. V.

De Charitate erga Deum.

PRAELVDIA ad comparandam Charitatem. 190
Indicia Charitatis. 191
Pronunciata de Charitate. ibid.

CAP. VI.

Dè oratione, ac Religione.

DEDITISSIMVS ſtudio contemplationis, & orationis. 193
Orantis caput viſum eſt magnis ſplendoribus coru-

 ſcare.

Digitized by Google

ſcare. ibid.
Extaſes frequentes . ibid.
Occultat quantum poteſt, nec fert ſibi de illis verba fieri. 194.
Non tamen abſtractus a curis Epiſcopalibus . ibid.
Exercitia ſpiritualia bis , ac ter annuatim peragit. 195.
In Cęnobio agens valde addictus ſacræ meditationi. ibid.
Recolit ſolicitè paſſionem Chriſti Domini . 196
Cultus , & deuotio erga B.Virginem. 197
Erga ſpiritus Angelicos . ibid.
Erga Sanctos , & eorum reliquias . ibid.
Srndium ſacræ hymnodiæ . 198
Ardor, & extaſes in actione miſſę. 199
Cura vt & alij interſint . 201
Inſtituit pia laicorum ſodalitia . ibid.
Cura ſacrarum Cęrimoniarum . 202.
Cultus interior, & exterior templorum . ibid.

CAP. VII.

Quam magni effectus orantis.

PLVVIAM impetrat . 203.
Auertit grandinem. 204
Corſicam a Turcarum deprædatione ſeruat . ibid.
Energumenam liberat. 205
Dęmones aſpectu terret . ibid.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

Charitas erga proximum.

PROPENSVS in ſubſidia miſerorum. 206
Centum ſaccos tritici, aliaque multa annuatim diſtribuit pauperibus. 207
Sacerdotibus ac pudentibus noctu mittit cibaria. ibidem.
Centum itidem ſaccos recondit pro contubernalibus ſeminarij, & eorum propinquis. ibid.
Longè plures nutrit tempore annonę. ibid.
Vt plures ſubleuet publica inſtituit ædificia. 208.
Qua arte ementitam viri paupertatem deluſerit. ibidem.
Munificentia in Epiſcopatu Ticinenſi. ibid.
Cura eorum qui erubeſcunt mendicitatem. 209
Egregia miſerentis gratia. ibid.
Liberalitas erga Congregationem. 210
Quicquid ſupereſt de tenui familia diſpertit inopibus. 211
Hilari ſemper animo, & manu. ibid.
Effuſa beneficentia. ibid.
Conſanguineis nil impertitur, ſed ab eis emendicat opem. 212
Iure dictus a Pio V. Iuſtus oeconomus, & vulgò Pater pauperum. ibid.

CAP. IX.

Digitized by Google

CAP. IX.

Alia opera miſericordiæ.

VISITATIO, & cura ęgrotorum . 213
Maximè domeſticorum . 214.
Splendidum exemplum . ibid.
Hoſpitalitas, & profuſio in hoſpites. ibid.
Oeconomo reclamanti obijcit ſibi de craſtino haud quaquam cogitandum. 215
Pauperes intra domum induci iubet nequid patiantur in via publica. 216
Turbam Corſorum catenis Turcarum eroptam humaniſſime recipit, & paſcit. ibid.
Qua benignitate nautas octingentos, a barbaris aufugientes exceperit. ibid.
Mira beneficentia . 217.
Aliud hoſpitalitates, & miſericordię exemplũ. ibid.
Mira item prouidentia erga infantulum morti expoſitum . 218
Hoſpitalitas exercita Ticini . ibid.
Nudos veſtit. 219
Dotem puellis ſubminiſtrat. ibid.
Cura mortuorum . ibid.
Vbi aliter nequit iuuat prece ad Deum . ibid.

CAP. X.

CAP. X.

De prudentia.

QVIBVS prudenriæ partibus enituerit. 220
Experimenta prudentiæ. ibid.
Prudentia in delectu miniſtrorum Eccleſiæ. 221
In correptionibus. 222
Moniti monentem redamant. ibid.
Probatur clariſſimo exemplo. ibid.
Leges prudentię œconomicæ. 223.
Prudentia in priuata ſui moderatione. 225

CAP. XI.

De Iuſtitia.

LEGITIMA beneficiorum diſtributio. 227
Vindex acerrimus iuris dicendi, & ſeruandę æquitatis. ibid.
Libellos ſupplices examinat. ibid.
Increpat miniſtros munera acceptantes. 228
Vetat recipi ſportulas. ibid.
Miſeros fouet. ibid.
Haud facile infligit mulctas pecuniarias. ibid.
Si quando infligit, illas deſtinat in pia opera. ibid.
Officium Cancellarię diuendi non patitur. 229

Eccle-

Eccleſiaſticam dignitatem, ac libertatem prudenter tuetur. ibid.

CAP. XII.

De fortitudine:

ALEXANDER natura pauidus, virtute magnanimus. 230.
Fortitudinis experimenta. ibid.
Dei negotia inuictus agit. ibid.
Periculis minimè frangitur. ibid.
Aduerſa fortiter ſuſtinet. ibid.

CAP. XIII.

De Temperantia.

CASTITAS. 232
Obijt Virgo. 233
Graues corporis afflictiones pro tuenda caſtitate. ibidem.
Sobrietas, & ieiuniorum frequentia. ibid.
Tenuis apparatus. ibid.
Nullum ex auro vel argento vaſculum. 234.
Dignum Alexandro Apophtegma contra vſum Aulæorum. ibid.
Senſuum continentia. ibid.

CAPITVM.

CAP. XIV.

De manſuetudine.

MANSVETVDO in Alexandro magis fructus Spiritus Sancti, quam virtus. 235.
Cur tanta manſuetudine ornauerit illum Deus. ibidem.
Nunquam viſus ira percitus, aut ſubiratus. 236.
Confirmatur exemplis. ibid.

CAP. XV.

Heroicæ manſuetudinis, & clementiæ exempla.

PETITVS ſaxo ad caput nil indignatur. 238.
Dimitti percuſſorem iubet. ibid.
Supplicio ſubtrahit. ibid.
Alia item exempla. 239.
Admiranda benignitas erga bruta. ibid.
Placiditas equorum ad Alexandrum. 240.

CAP. XVI.

Intentiſsimns irarum extinctos.

RES illi cum feris potius quam cum hominibus. 241.

Sua vrbanitate docet Inſulares humane viuere. ibidem.
Angelus Pacis. ibid.
Vis Charitatis, & ingentis fortitudinis exemplum. 242
Quid monentibus amicis reſpondeat. 243
Alterum reconciliandis ciuibus ſtratagemma. ibid.
Cęleſtis Caduceator. 244
Apud cineres Alexandri finem rixæ faciunt nonnulli. ibid.
Sixti Negronij relatio. ibid.

CAP. XVII.

Temperantia ab honorum cupiditate.

APPETENTIAM honoris, ac dignitatum vt frænarit Alexander. 245
Actus Religioſæ demiſſionis, ibid.
Quam conſtanter reſpuerit honorum, atque magiſtratuum gradus. 246
Deſpexit humana encomia. 247
Firmatur exemplis. ibid.
Modeſtè, immo male de ſcipſo ſentit. ibid.

CAP. XVIII.

Charus, & vtilis B. Carolo Borromæo.

S. CAROLVS non eſt Fundator ſed Patronus noſtræ Congregationis. 249

Merita

Merita Alexandri primum nouit Papiæ. 250
Illum aduocat Ticino ad primum Concilium Prouinciale. ibid.
Alexandri eruditio,& ſapientia in eo Concilio.ibid.
Vtitur plurimum conſilio, & opera Alexandri Præpoſiti. 251
Quibus in rebus. ibid.
Alexander ſocius Caroli in correptione quorundam Ordinum. ibid.
S. Carolus ſumma quæq; committit fidiſſimo Alexandro. 252
Illum habet a Confeſſionibus. ibid.
Encomium Caroli de Alexandro. ibid.
Quibus officijs mutuam amicitiam aluerint. ibid.

C A P. X I X.

Collatio S. Caroli cum Alexandro. 253

C A P. X X.

Qui honorificis teſtimonijs Alexandrum collaudent.

S. CAROLVS Borromæus. 257
Carolus a Baſilica petri. 258.
Io: Petrus Giuſſanus. ibid.
S. Philippus Nerius. ibid.
Baccius in vita S. Philippi. 259
Pius V. Pontifex, &
Cardinalis Serbellonius. ibid.
Io: Antonius Gabutius. 260

Gregorius XIII. 261.
Sixtus V. ibid.
Gregorius XIV. ibid.
Paulus V. ibid.
Dux, & Magiſtratus Reip. Genuenſis. ibid.
Clerus, & populus Eccleſiæ Alerienſis. 262.
Folieta. 263.
Ioannes Rhò e Soc. Ieſu. ibid.
Paulus Bellonius. 264. & 272.
Ioannes Bellarinus. ibid.
Anacletus Siccus. 265.
Michael Iuſtinianus. 266.
Octauius Belmuſtus epiſcopus Aleriæ. ibid.
Io: Baptiſta Bilia epiſcopus Papienſis. ibid.
Antonius Maria Spelta. 267.
Populus Ticinenſis. ibid.
Henricus Farneſius eburo. ibid.
Conſorum dicta. 268.
Decius Iuſtinianus epiſcopus Alerienſis. 269.

FINIS.

Digitized by Google

DE VITA, ET GESTIS VENERABILIS SERVI DEI ALEXANDRI SAVLII ANTE EPISCOPATVM.

LIBER PRIMVS.

Natales, & Ortus.

C A P. I.

VITAM, & res geſtas Venerabilis Viri ALEXANDRI SAVLII ſummatim conſcripturus, vnde aptius ordiar, quam à quibus ille & viuendi vſuram accepit, & normã? licet enim non ſicut generis ita & morum nobilitas continuò tranſeat ad Nepotes; neque cum paternis diuitiis hæredes virtutum ſemper

exiſtant filii : quippe eodem educti ſtipite Abel & Cain ; eodemque parente geniti Iacob & Eſau, genio tamen tam fuere diſſimili, vitaque diſcordi, quam à ſpinis roſæ, vno eodemq; à trunco pullulantes. Verumtamen quis neget ad profectum filiorum non parum conferre virtutem parentum, ac ſanctimoniam? Inde enim editi illi ſunt, vbi hoſpitata virtus eſt, quæ de antiquo ſemine aliquid in dies bonitatis egerminat; ibi illi educantur, vbi cum lacte innocentiam vitæ ſugunt, vbi ad omnem oculi coniectum veſtigia occurrunt domeſticæ pietatis, vbi denique maiorum non memoria modo aſſidua, ſed imagines ipſæ paſſim obuiæ, licet mutæ perorant, acribus ſtimulis ad patriam virtutem æmulandam admotis, validiſque à degenere inſtituto frænis iniectis: Perinde vti iuſtus Tobias cognatos ab iniquis dicteriis deterrens illud cauſæ obiectabat: *Quoniam filij Sanctorum ſumus*.

Tob. 4.

Poſſet Alexander longam, laudatamque ſeriem eiuſmodi Auorum cenſere, per quos ad ſe corriuatā vitæ æquitatem probaret, vt propterea ab incunabulis ipſis edoctus virtutis capeſsēdæ modum facile credatur: ſed quia hæc ampliorem popoſcerint cāpum narrandi, quam qui præſcriptus eſt nobis, ſuppreſſa Auorum commendatione, proximam originem indicabimus, veluti Solis naſcituri præcurrens diluculum.

Alexander natus Mediolani anno 1535. Patre Dominico Saulio, & Thomaſina Spinula Matre.

Dominico Saulio Patre, Thomaſina Spinula Matre, familiis Genuenſium principibus, natus eſt Mediolani Alexander, 15. Kalend. Martii, Anno redempti Orbis 1535. haud multò poſt quam Diplomate Pontificio per Paulum III. firmata eſt inter ſtatos, ac Generales Ordines Religioſorum Congre-

Congregatio Clericorum Regularium Sancti Pauli, quos vulgo à Principe Ordinis Eccleſia Barnabitas vocant: cum eam tamen Mediolani natam Clemens VII. approbaſſet.

Genuam autem Liguriæ Metropolim eſſe, emporiū Italiæ ditiſſimum, Sauliæ gentis, ac Spinulæ ſedem nobiliſſimam ignorat nemo: Nemo nomen vtriuſq; Gentis, vetuſtatem, ſplendorem, res præclarè geſtas, ſi primoribus tantùm labris deguſtauerit Italicas memorias. Vtrinque enim nullo non tempore floruere armis, doctrinis, publicis Magiſtratibus, vitæ quoque integritate inſignes Viri, à quorum cōmemoratione, ne aliena videamur, non Alexandri facta, conſectari, ſtylum retrahimus, ad illius genitorem regredientes.

Dominicum Saulium ſingularibus dotibus natura ditauit, induſtria adauxit. Nobili, ac ſublimi animo, præcellenti ingenio, & ad ardua quæque nato; grata, ſed minimè vulgari eloquentia, eruditione varia, ciuili prudentia in primis inſtructum; Regia quædam maieſtas oris, & formæ dignitas ſummoperè commendabat. Ad hæc munificentia in pauperes, morum integritate, & (quod hominem ſpectandum in faſtigio collocat) pietatis Chriſtianę laude tantoperè elucebat, vt nemo ferè æqualium pluribus ornamentis inſtructior ad Rempublicam adminiſtrandam acceſſiſſe putaretur. Quamobrem cum apud alios ſummos Dynaſtas, tum in primis apud Franciſcum Sfortiam poſtremum Mediolanenſium Ducem, mox apud Carolum Quintum Cæſarem, cui poſtea ditio illa ceſſit, gratia, atque authoritate plurimum valuit; & iis rerum Dominis, Genuenſis licet patricius, ſingulari priuilegio, in

Dominici Saulij dotes, officia, & res geſtæ.

Digitized by Google

Senatum Mediolanenſium honorificè cooptatus, grauiſſimiſque muneribus, & rebus agendis præfectus eſt: ab illo inſuper Duce honoris, & meriti cauſa Demarchus conſtitutus Puteoli pernobilis Oppidi in Diœceſi Derthonenſi, quod Oppidum etiamnum obtinet familia Saulia. Honeſtiſſimas prætetea Legationes obiuit Dominicus ad Clementem VIII. & Paulum III. Summos Pontifices. Poſt hæc Quæſtorum ditionis Mediolanenſis Magiſtratum vtrumque, vno ſimul tempore, raroque, & plane ſingulari exemplo Præſes eximia integritate, & plena acclamatione exercuit. Porro ea fuit Dominici beneficentia in homines probos, & eruditos, vt illis domeſticos ipſos lares continenter patere voluerit; nouus Mœcenas omni liberalitatis genere, & officii: Eodem genio erga inopes, & caſibus aduerſis fractos. Quo factum eſt, vt quæ olim domus perfugium egenis, doctiſque eſſet, hodie in amplam, inſtructiſſimamque gratuitorum pharmacorum Apothecam ad egentium inualidorum ſolatium commutata pateat, perpetua miſericordiæ officina, & Charitatis hoſpitium, titulo ſanctæ Coronæ honeſtata.

Alexandri in baptiſmo ſuſceptor Alexand. Bentiuolus, poſtremus Bononiæ Dynaſta.

Liberos ſex de Coniuge cariſſima ſuſtulit Dominicus, Mares tres, fæminas totidem. Ex iis Alexander ſecundus natu, ſacris vndis Baptiſmi lotus, ſuſceptore Alexandro Bentiuolo poſtremo Bononiæ Dynaſta, & Sfortiæ Ducis peramico: vnde & nomen traxit. Grandiuſculo non defuere qui ad elementa Chriſtianæ doctrinæ monerent de religioſis Auorum facinoribus, quorum ipſe ſtudio accenderetur, altèque animo infigeret, iniunctum id ſibi, vt aliquando ætate prouectus, aut gradu, glorioſa æmulatione

Auorum optima exempla.

latione

latione iiſdem in ſe coloribus eos exprimeret. Sic ab Antonio Auo edidicit; quam Epiſcopus imitaretur liberalitatem pro tutanda Virginum egenarum caſtimonia, vbi illum audiuit conſtituiſſe de ſuo reditum ſcutorum mille annuum, perpetuumque, quo Virgines aliquot indotatę honeſto matrimonio collocarētur. A Bendinello Proauo Zelum, largitatemque in Sacrorum Cultum; cuius luculentiſſimum monumentum cernebat, admirante poſteritate, in Templo, quod Sauliorum vocant, amplitudine, ſtructura, marmorum copia longè omnium, quæ in patria extarent, magnificentiſſimo, cui ille excitando, & Sacerdotiis decenter inſtruendo, de pecunia ſuæ arcæ tantum inſumpſerat, quantum iuſto fęnore perpetuo ſoluendum ſufficeret. A Philippo autem Patruo mundi deſpectum, contemplandi Dei ſtudium, ac ſuimet, gregiſque aliquando ſibi committendi curam. Is enim cum eſſet à Pontificiis Breuibus, atque in Genuenſium Ditione Brignatenſis Antiſtes, non ſine ſpe fortunæ eminentioris, illa tamen reuoluens animo verba Saluatoris: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, Animâ verò ſua detrimentum patiatur?* ablegatis rebus omnibus vni ſibi, & gregi regendo vacandum dixit, vt & ipſe Chriſti Ieſu perfectus imitator, & oues Paſtoris imitatrices fierent. Digniſſimum ſanè ſpeculum Alexandro, in quo poſtmodum Epiſcopus obtutum firmiter defigeret, ac ſeſe Philippo, aliiſque non paucis in ea familia magnis Præſulibus aptè compararet; quod poſtea & fecit egregiè, & excellentiùs multo perfecit. Matth. 16.

Indoles,

Indoles, Educatio, & Studia.

CAP. I I.

Indoles.

A Deo generis humani ſatore prouidentiſſimo indolem ſatis bonam,& nobilem adeptus eſt Alexander, quæ cogente nemine ipſum facile à prauo auerteret, ad rectum impelleret. Suopte ingenio in bonum pronus, Religionis amantiſſimus, erubeſcens ad inhoneſta: candidus illi animus, facilis, ac mitis, in alienis caſibus ad commiſerandum promptus. Mens perſpicax, in agendo ſedula, ac prudens. Natura non citra timiditatem: Corporis habitus delicatulus, & ad flegma potius accedens.

Educatio.

His adiuncta Parentum ſolicitudo, & accurata educatio, quæ in Infantulo, quaſi nitida, ac cerea in tabula mirum quam facile impreſſit prima Sanctioris vitæ lineamenta. Acceſſit poſtea præceptorum celebrium diſciplina,qui tanquam periti cultores recentis plantæ luxuriem ſtudioſè amputant, ſimul irrigatione opportuna lætificant, ideſt, & mores pueruli optimis informant monitis,& liberalibus diſciplinis inſtruunt mentem, ſurgere arbuſculam in Cælum iubent, rationem vitæ omnem in alumno ſuo ad pietatem conferentes. Sanè in eo ſe plurimum commendauit Dominicus, quod liberis inſtituendis tales Magiſtros delegerit, quorum opera ſcientiam probitate, probitatem ſcientia cumulatam in iis eſſe gloriaretur. Præfecit muneri primo loco

Dominici cura erga liberos.

Iulium

Iulium Camillum Delminium, Hebraicæ, Grecæ, Latineque linguæ, necnon Italicæ cultioris apprimè gnarum, libris etiam editis illuſtrem, quem propter ingenii præſtantiam, & peregrinas loquendi formas Rhetorum Principem vocitare non dubitarunt haud pauci. Hunc per ſeptennium totum domi ſuæ conuictorem habere placuit Dominico, quò propius docentis beneficio vterentur filii. Poſtmodum apud ſe vita functum proprio ſepulcro ſibi magnificè extructo ad Diuæ Mariæ Gratiarum Mediolani in perpetuæ beneuolentiæ, memorieque immortalis teſtimonium donauit. Camillo ſucceſſit Io.Baptiſta Raſarius Nouarienſis, vir notiſſimæ probitatis, omni liberalis diſciplinæ genere ornatus, qui Oratoriam facultatem Venetiis primùm, tum Ticini triginta fere per annos ſumma cum laude publicè docuit, & Galeni, Hyppocratis, aliorumque Grecorum ſcripta in Latinum pari fide, atque elegantia vertit.

Magiſtri: Iulius Camillus Delminius,

Et Io. Bapt. Raſarius,

Tantis Doctoribus Alexander, cuius non minus erat impigrum ſtudium, quam fœlix ingenium, non potuit non magnas in litteris progreſſiones facere. Itaque breui faſtigium tenuit humaniorum litterarum, Rhetoricæ artis, Græci, Latinique nitoris, quarum rerum ſubſidio ætate procedente ſcientiam æternæ ſalutis poſſet in concionibus & ipſe populis tradere. Logicæ elementa fertur domi accepiſſe; Philoſophiæ autem, & Ius ciuile Ticini: quod & ipſe teſtatum relinquit in Epiſtola, in qua etiam ſe à iuuentutis turpi, & communi naufragio, diuina ope ſeruatum affirmat.

Prima ſtudia Alexandri.

Iam vt ad puerilia Alexandri reuertamur. Aeſtuauit aſſiduè à primis annis ſtudio ſacrarum precum, Diuinæ conſuetudinis voluptate illectus, Cui propterea

Iuuenilia exercitamenta pietatis.

Digitized by Google

terrea totis ſenſibus, menteque pluſquam crèdas in-tentiſſima inhærebat. A matutinis, ſerotiniſque pre-cibus priuatis vix vlla vnquam auertit cauſa: neceſ-ſitate auerſum reuocabat hora ſubſequens. Sacroſan-cto Miſſæ Sacrificio quotidie fere, Veſpertino in Eccleſia cultui diebus feſtis, ore compoſitus, & mente præſentiſſimus aderat. Magna cum animi vo-luptate, vtpote ſitientiſſimus, de Deo ſermones in priuatis, aut publicis congreſſibus auſcultabat at-tentè. Labes animę, quas vel inuitus, vel in-cautus, vel etiam ignarus, vt in humanis, contrahe-bat, Sacrę Pænitentiæ lauacro abluebat frequens, ſalutaribuſque caſtigabat pænis. Sub annum ætatis duodecimum impatiens diuturnioris moræ ſacrũ Eucharistiæ eſuriuit pabulum; cuius voti compos vt rite fieret, pia Sacerdotis inſtitutione, & conſiliis adiutus eſt, ac poſt generalem exactæ vitæ expiatio-nem ſingulari ſenſu pietatis ad Sacroſanctam Men-ſam admiſſus, non ſine nouis ad amorem Diuinum incentiuis guſtata cæleſtium ſuauitate receſſit.

Cultus erga B.V.Mariam

Colebat affectu filii, ac ſerui reuerentia B. Mariam Virginem, Dei Genitricem, quam ſibi ab incunabu-lis patronam delegerat, cui ſe, ſuaque fidenter com-mendaret: Itaque caſtiſſimæ Virgini puer caſtimo-niam ſuam vouerat; in ipſius honorem officium quo-tidiè perſoluebat, & cum alias plurimas preces ei-dem Auguſtæ Virgini honorificè dicatas, tum coro-nam Angelicæ ſalutationis per dies ſingulos recita-bat; Sed & vnoquoque Sabbato in eiuſdem obſe-quium ieiunabat.

Candor, & modeſtia Alexandri.

Raram in adoleſcentulo pietatem, mentis cando-rem in facie ſe prodentem, ſimplicitatem quoque ingenuam, & priſcos in tantula ætate mores admi-

raban-

rabantur quamplurimi, deridebant alii; tanquam propriæ aduerſantia nequitiæ, atque impietati: Nec deerant inter domeſtica ſeruitia mulierculę, quę in impuberis tam venuſti, quam pudici Religioſam caſtimoniam, atque auream formoſitatem ſcommata ludentes iactitarent: Verum ea omnia modeſtiſſimus, ac prudens Alexander deſpectui habens, ſibi, bonoque ſuo conſulere ſatagebat.

Nullum eſt genus reuerētię, atque obſequii, quod Parentibus non exhibuerit, nudato capite aſſurgere, non niſi interrogatus alloqui, mandatis auſcultare nutibus præſto eſſe, omni cultu venerari. Haud diſſimilis erga Præceptores. Porrò ne a patria grauitate, virtute, dignitate, ne tranſuerſum quidem vnguem deerraret, famulorum conſuetudinem cautè declinabat: Neuè in ſodales prauos, contaminatoſque moribus incurreret, nemini adiungebat ſe, prçterquam quos nomine deſignauerat iuſſio moderatorum. Famulis tamen neque durus, neque moleſtus; ſępe ipſe ſibi miniſtrans, ne illos grauaret. *Pietas in Parentes, & Præceptores*

Clementiæ, benignitatiſque viſcera pandebat omnibus: Miſericordiam in egenos tamquam ſibi ingenitam materno extuliſſe vtero videbatur. Quod ſi illi nihil eſſet, quod ſtipem petentibus erogaret, illud à domeſticis quæritabat; deprehenſus interdum, nec inuitis tamen parentibus, clanculum ſubducere domo aliquid in illorum beneficia. *Miſericordia in pauperes.*

Indecoros aliorum geſtus, ſubobſcęna verba, inuerecundaque, aut famam alienam deterentia, omnem denique minus caſtigati ſermonis licentiam ſeuerus obiurgabat; quandoque tacitus oculo toruo, vt tempus poſcebat, quandoque fuga, quò ſe lęſum oſtenderet, & ne in idipſum relaberentur, caueret. *Cura caſtimoniæ.*

Sobrietas. Victus exiguus, ad neceſſitatem comparatus, non ad delicias. Et ne ſobrietatis propoſitum vnquam violaret, ad conuiuia inuitatus, quæſita honeſta cauſa, perbellè abſtinebat. Cultus autem Corporis decens, veſtitus elegans, ſed non vltra modeſtiam exquiſitus.

Vigilantia. Primo mane vigil, & ad ſtudia proſiliens; indignum ratus homine adoleſcente, excipere in cubili Solis radios. Otii, ac deſidiæ hoſtis capitalis vt quã virtutis nouercam eſſe dictitabat. Si qua de ſtudio, aliiſque meditationibus à Patre præſcriptis ſupereſſet hora, aut horæ portio minima, non illam puerilibus inſumebat iocis, aut ludis, vt æqualibus mos eſt, verum concinnandæ Aediculæ oratoriæ, ornando Altari vna cum fratribus, ac ſororibus, aliivè cuipiam honeſto operi. Sermo illi ſinceriſſimus: mendacio infenſus ſupra quam credi poſſit.

Oblectatio in ornatu altarium.

Hæc autem extitere in Seruo Dei tyrunculo prima virtutum experimenta, è quibus præſagire iam tum licuit, quantus euaſurus eſſet athleta. Certè nemo fuit, qui mores, qui acta pueri contemplatus, velut ex orientis Solis ſerenitate non aſſequeretur coniectura quam latè lumina ſanctitatis in meridie vitę eſſet ille diffuſurus.

De Cæleſti

De Cæleſti inſtinctu, & Præludijs ad Religioſam Vitam.

CAP. III.

AGEBAT ille ętatis annum decimum ſeptimum. Cum autem ingenio ſolerti eſſet, ſenſuque ſatis maturo, facile vera a falſis diſpicere potuit, & quæ iuſta,quę iniuſta, caduca, ſempiterna ſecuro iudicio tenere. Afflatus quoque ſuperno lumine, quam multis iter huius ſæculi obſeſſum foret errorum periculis, quãque funeſti errantium exitus, non obſcurè præſentiebat. Quare ſibi ipſi proſpiciens, atque conſulens, ne per deuia Mundi rueret, ſecedendum putauit à communi hominum vita, ac vulgari inſtituto,rebuſque profanis abdicatis ad arcta Religioſorum clauſtra commigrandum, vbi mundo mortuus, ac ſibi, viueret totus Deo: illud iam perſpectum habens, quam honeſtum ſit, quam dulce, quam in primis adoleſcenti proficuum, iugo legis Diuinæ tenera colla ſubmittere. Hęſitabat autem animo, quò potiſſimum vergeret; ardentioribus idcircò, atque cõtinuatis obſecrationibus diuinam ſolicitabat clementiam,vt quorſum tenderet, indicaret. Ita ex Rege vate orans, ***Illumina Domine vultum tuum ſuper nos,vt cognoſcamus in terra viam tuam.***

Deſiderium vitæ Cœnobiticæ.

Pſal. 66.

Paucis ante annis florebat Mediolani (quæ Vrbs fæcunda parens eſt, & pia Religioſorum hominum nu-

Origo Congreg Cleric. Regularium S. Pauli.

nutrix) recens Congregatio Clericorum Regularium ſub Diui Pauli Apoſtoli patrocinio, fundatoribus Antonio Maria Zacharia nobili Cremonenſi, Iacobo Antonio Morigia, & Bartholomęo Ferrario, Patritiis Mediolanenſibus: Triumviris Apoſtolici Spiritus, ac ſapientiæ plenis, quorum inſtitutum Clem. VII. Pont. Max. Apoſtolica authoritate probauerat: ac biennio poſt, ideſt Anno 1535. (qui fuit natalitius Alexandro) Paulus III. ſucceſſor priuilegiis, atque amplis conceſſionibus adauxerat. In hunc cætum complures iam inſignes, ac primarię nobilitatis Viri, tum Mediolanenſes, tum finitimarum Ciuitatum confluebant, qui præter admirandam vitæ rationem, qua ſe ſe in priuatis, publiciſque officiis exercebant, in erudiendos quoque populos, & ad cæleſtem vitam formandos ſummam operam conferebãt. Quæ res conuerſos habebat omnium oculos, nouis quaſi aſtrorum fulgoribus excitatos, diffundente ſe latè fama ſanctitudinis noui Ordinis.

In eam propendet, & petit recipi.

Ad horum igitur Patrum ſedem, quæ in ſuburbanis Mediolani, ad diui Barnabæ habebatur, diuertit frequens Alexander, eoque captum nitore virtutũ inceſſit ardens cupido in illorum numerum nomen dare. It viam, reditque celer, qua tenditur ad Diui Barnabæ, iam quaſi gnarus illius conſilii Salomonici. *Si videris ſenſatum, euigila ad eum, & gradus oſtiorum illius exterat pes tuus*. Tantopere anhelantem exęſtuans deſiderium non patitur vllo loco conſiſtere, donec metam votorum ſuorum attingat, ſpemque omnem impletam ſentiat.

Eccleſ. 6.

Tenebat per id tempus clauum huiuſce Religioſæ nauiculæ Hieronymus Maria Martha a Caſtrofranco ex primis Congregationis alumnis, vir canitie

tie veneranda, pietatis ſenſu feruido, auſteræ vitæ ratione conſpicuus, cuius ſermonibus, atque exemplis ſodales ad culmẽ Chriſtianæ perfectionis acriter extimulabantur. Coram eo Præpoſito, & Primatibus Congregationis ſupplex, in genua prouolutus, Aprilis die 22. dein. 24. (Annus erat 1551.) patefecit Alexander, tam ingenue, quam ardenter, quod fouebat in pectore ſtudium Religionis, enixè poſtulans dari ſibi, vt in illam partem ſortis Sanctorum aſciſceretur: reliquum vitæ deuouiſſe Deo; pro æterna ſalute libenter quicquid in ſęculo caducum alii ſectantur, ſe ſe paciſci: neque fas eſſe vocanti, atque adeo impellenti Deo calcitroſum obſiſtere. Hæc ille obſecrabundus vrgere.

Verum ne quid temerè apud parentes illos Congregationis decerneretur in prole adoptanda, cenſuere ex Apoſtoli monito probandum in primis propoſitum animi in adoleſcente, num eſſet ille ex Deo Spiritus, vtrum aliquis fucus pietatis illexiſſet, aut certè tædium potius ſæculo abduceret, quam Cæli amor traheret. Et veterum quidem Cęnobitarum veſtigiis inhęrentes, antequam candidatum adſcriberent in familiam, deſideriorum illius capita perſcrutantes, indicia firmati conſilii, experimenta quoque voluntariæ demiſſionis, atque conſtantiæ attentius exegerunt. Enimverò iucundiſſimum fuit audire adoleſcentuli reſponſa ad Patres diſquirentes eius propoſitum; & quam appoſitè, quam prudenter, atque religiosè obiectas ab iis alias, & alias difficultates dilueret. Rogatus enim inter multa, cur cohortem hanc nouam tam exiguam, paucorum capitum, potius quam ex antiquioribus, numeroſioribuſque ſacrorum Ordinum vnam, cum tam multę

Fiunt experimenta vocationis.

1. Ioan. 4.

Io. Caſſian. lib. 4. de inſtit. renun. cap. 3.

exta-

extarent, delectam velit : Num ſuper ea re cęleſte numen conſuluerit : quibus fretus viribus quibus ſubſidiis tam arduum opus, quale eſt religioſę profeſſionis iugum perpetuum, moliretur. Denique monitus, etiam atque etiam cogitaret, proſpiceretque quid ageret; ſibi corporis habitudine molli, ac delicatè nutrito, ſeruitio multiplici famulorum vti ſolito, fore longe grauius, forſan & intolerandum id genus viuendi nouum, atque aſperum, in quo mancipetur oporteat laboribus, vigiliis, atque alienis miniſteriis. Ad hæc ſingillatim reſpondens ait, ſeſe per annum, ex quo ea cogitatio ſubiuit mentem, enixè à Deo efflagitaſſe, quid Maieſtati ſuę acceptius, quid ſibi conſultius ad ſalutē foret, indicaret. Se autem in dies magis, ac magis in eo ſtudio confirmatum, animatumque ſenſiſſe, argumento, inquit, haud ambiguo prę ſentis mihi Numinis, cuius certè ductu ſiſto me vobis, Patres, patefacioque conceptum animo ex matura deliberatione cōſilium huiuſce inſtituti amplectendi. In aliis Religioſis familiis ſeueriorem credo caſtigandi corporis diſciplinam reperirem: At hic, pręter alias aſperitatis rationes, viget plurimum intima voluntatis ſubiugatio, quod quidem longè gratiſſimum Deo ſacrificium, ac præſtantius cruciamenti genus eſſe arbitror. In quo illud eſt mihi propoſitum, vt perferendis cum animi ſerenitate, & charitate laboribus, obiurgationibus, & conuiciis, Deo perfectè inſeruiā, atque cum eius gloria ſanctus efficiar: hoc autem ope Diuina, & veſtro Patres adiumento conſequi non diffido. Neque vnquam fiet, vt me quidquam auocet ab hoc conſilio, ſiue lenocinia parentum, ſiue inſtantia perpetui laboris, ſiue quid aliud offera-

feratur mente, in qua iam ſedet ſuggerẽte Deo hęc ſententia. Hæc fere ad verbum Alexander.

Scitantibus Patribus, ecquas præ cæteris virtutes adamaret maxime? Humilitatem, inquit, & Pudicitiam, dictoque cauſam ſubiiciens, quoniam, ait, his binis Mariam Virginem Beatiſſimam Deo ſummoperè placuiſſe intelligo.

Inter hæc vnus è Patribus per iocum quidem, & velut modeſtiam illius pertentans, magis autem velut futura præſagiens obiectabat, Velle eum in ordinem hunc adſcribi, vt exinde euadat Epiſcopus. Quod ille quaſi ioco iactatum excipiens, ac nihil minus fore cogitans, modeſto ſilentio diſſimulauit. Hæc quanquam leuiora fortaſſe videantur, quam vt mandentur litteris, ſilentio tamen ſupprimenda non ſunt, vt ex hiſce rudimentis, & quaſi adoleſcentiæ erumpentibus gemmis fas ſit augurari quales in tempore fructus ſit editurus, & ad quantũ ſanctitatis faſtigium progreſſurus. Verùm ne res tota mutuis tranſigeretur ſermonibus, ad experimenta deuentum eſt. Diſſimulat quod illi obijcitur de appetitione Epiſcopatus

Per id tempus Mediolani quum legum obſeruantia, virtutumque cultus exularet, populus omnis in genus quodque flagitiorum procurreret, quum peſte vitiorum graſſante amor recti, ac benè viuendi norma ferè obliterata iaceret, quum pietas cõculcata locum feciſſet impietati. Per id (inquam) tempus tot corruptelis deprauatum, nouum hoc examen lectorũ Virorum e Cælo aduentaſſe viſum fuit, vt audaciam prauorum iam omnia obtinentem compeſceret, ſimul vt iras ſuperum iure commotas ſedaret; quippe vltores ii Diuini, Humanique iuris fædiſſimè violati, aliena ſcelera voluntariis in ſemet aſſumptis ſuppliciis ſeueriſſimè expiare ſatagebant, corpora priuatim Officia ordinis domeſtica, & in exteros.

tim, ac intra lares grauiter affligantes, & ſępius in media erumpentes fora, compitaque frequentiora, pręgandibus onuſti Crucibus, funibus de collo pẽdentibus. Vbi oratione inſtituta, qua ſpiritus Cęlo afflatus agebat, innehere acerrimè ſolebant in flagitia corruptę Ciuitatis, fulgurare, tonare, impendentes e Cęlo iras vltrices minitari, tum miſcere gemitibus concionem. Ex quo facile fiebat, vt quam plurimi e tartareo vitiorum veterno expergefacti, ſibique redditi viam æternæ ſalutis ab errore reuocati ingrederentur. Tametſi in tanta capitum varietate non deeſſent, quibus ſatana obnitente irriſionis materies, atque ludibrii fieret tam altum conſilium: vt ſic etiam in hoſce Patres quadraret, quod de ſe vſurpabat ipſorum Tutelaris Apoſtolus, *Aliis ſumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.*

2. Corint. 2.

Crucem Alexander per Vrbem Mediol. ſæcularii in habitu gerit.

Accidit ergo aliquando, vt Alexander Patrum ſuaſu in ſuo laico, & eo eleganti habitu (quem ipſum nonnulli putant eſſe, in quo dudum inter ducẽtos ephæbos e flore patritiorũ Mediolanenſium Philippo II. Hiſpaniarum Regi Belgium verſus Mediolano tendenti obuiam factus præ cæteris ſplẽdebat) hoc, inquã, habitu adornatus, Cruce ingẽti ſublata ex Aedibus Patrum ad vſq; forum Mercatorũ procedere non dubitaret; ibiq; elato Chriſti tropheo ſuper pegma circulatoris, veluti de ſuggeſtu, verba Diuina facere. Lepidum enimvero, & omni poſteritati cõmendandum ſpectaculum: Adoleſcentulum ephębum holoſerico nitentem, & auro, longo itinere per vicos, per compita vaſtiſſimæ vrbis, in ſumma populi frequentia, vexillum Chriſti geſtãtem humero properare; illud vbi denſior Ciuiũ turba, erigere, immo etiam defigere. Non humi quidem ſed in ſcena mi-

inimicâ, quaſi Triumphi ſui ſublimi Capitolio. Ibidem quoque intrepidè de mundi deſpicientia, de vitiorum fœditate, ac ſempiterna apud Inferos punitione perorare, & admirabundam plebem ad imitationem Chriſti Domini feruidiſſima oratione incendere. Dixerint ſapientes homines adoleſcentulum, intuentes, domo ſub Crucis pondere in lõginqua abeuntem, alterum referre Iſaacum puerum, ligna deferentem, quibus omnes ſæculi pompas, omnem hominum faſtum, æſtimationemque ſui Chriſto Deo immolaret. Quo factum eſt vt omni perplexitate poſita, quę de eius inconſtantia relicta foret, accepto nomine caſtris militantium Deo ſub Pauli vexillo tyronem Patres conſcripſerint.

Eiecto de ſcena circulatore in ea Crucis Trophæum eleuat, & ſermonem de mũdi contemptu habet intrepidus.

Alexandri ingreſſus in Ordinem, Tyrocinium, Progreſſus.

CAPVT IV.

IGITVR 16. Kal. Iunii, in quem diem eo Anno incurrit feſtum Pentecoſtes, feruentiore, adhuc flamma Sancti Spiritus exęſtuans Alexander ad Diui Barnabæ, tanquã ad propugnaculum firmiſſimum contendit, excipitur à Chriſti militibus, caſtris iniungitur; non continuò tamen decoratur galea, baltheo, chlamyde, hoc eſt Clericalis militiæ ſacro habitu, ne forte tyrunculo adhuc, & prima illa rudimenta facienti

In Cœnobio S. Barnabæ accipitur Nouitius.

ea nō ſatis accomodata redderentur inſignia; ſed vili lacernula, hoc eſt veſte leuidenſi, abiectaque coopertus tyrocinium agit, in quo paulatim ſpecimen roboris exhibeat, comprobetq; quantum capeſſendis militaribus iis inſtrumentis idoneus euaderet: & qui leuioribus in pugnis didicerit ſtrenue rem gerere, ad acriores ſubinde congrederetur intrepidus.

Habitu Ordinis induitur.

Per trimeſtrem autem diſciplinam cum initia prçclara, & omnium argumenta virtutum præbuiſſet, communibus Patrum ſuffragiis, & decreto, ſacro Habitu ex ritu Congregationis in ipſo Collegio Diui Barnabæ, adſtante corona Procerum, & Patritiorum florentiſſima, induitur per P. D. Hieronymum Mariam Martham Præpoſitum, ipſo die recurrente Beatiſſimæ Virginis Mariæ in Cælum Aſſumptæ, quo die Angelorum hæc ſupergreſſa choros, atque in ſolio numini propinquiore euecta viſa eſt ſtupenti Aulæ Cæleſti amicta mulier Sole, Lunam pede proterens, Stellis compactum diadema geſtans capite. Quod propoſitum myſterium contemplans Alexander intellexit, ſibi ex terrenis rebus ad cçleſtes eo die translato enitendum eſſe, vt in poſterum quaſi iam cçleſtis homo ad exemplum Deiparç, iuſtitiæ, ac ſanctitatis radios exhiberet, ſublunaria quæque alto deſpectu calcet, caputq; quod eſt ſedes mentis, efferat ſuperna luce, & radiis virtutum vndique coruſcans. Alexandro præter morem Congregationis manſit immutatum nomen; ſcilicet iam illuſtratum a iuuene debuit in optimo ſene conſecrari.

Apoc. 12.

Ad Religioſç perfectionis apicem contendit.

Et ſane quam ante de ſe cōcitauerat expectationem, non modo non fefellit, ſed re ipſa longe ſuperauit; quippe cui parum erat ad apices virtutum ſupremos aſpirare, niſi & celerrimo greſſu properaret.

ret. Proinde quæ aſſiduè mente verſabat ſæpius ex ore excidere audita ſunt verba eiuſmodi, *Deum colere eminenter, & ſpiritu ſublimioris ſanctitatis ſemper incaleſcere*. Quare nemo erat illo aut ad pietatem pronior, aut ad labores, abiectioraq; miniſteria promptior, aut alacrior ad obediendum, aut diligentior in omnibus diſciplinæ regularis muniis obeundis. Erga moderatores obſequẽtiſſimus; æqualibus ęque amabilis, ac officioſus; magiſtri ab ore pendere, & e veſtigio ſequi, collegis miniſtrare, infraque omnes haberi geſtiens. Cum autem probè teneret omnium licet diſparium inter ſe Ordinum in Eccleſia vnum, eundemq; ſcopum eſſe, vt prępotenti rerum Conditori quam ſanctiſſime inſeruiatur, Deum videlicet ſuper omnia diligendo, & officia charitatis perficiendo, ipſe huc aciem mentis omnem intendere, huc geſta, dictaque omnia conferre pro virili parte perpetuò ſtuduit. Feruẽtis Tyronis dictam

Quo primum tempore hanc palæſtram eſt ingreſſus, in illud potiſſimnm totus incubuit, vt obices quoſcunq; tolleret, quibus intercludi via ad ſanctitatem poſſet. Quamuis autem Animam ſatis bonã ſortitus eſſet, gereretq; corpuſculum ſpiritui minus contumax, tamen aſſiduè inuigilando tentauit vitioſa naturę germina radicitus eruere ſi poſſet, ſi non poſſet, comprimere: Multumq; impendit operę, atque induſtrię in moderandis, & corrigendis animi affectibus, qui grauium inſtar ponderum eneruant animam, & quędam quaſi vincula ſpiritum obſtringunt, ne ſe ſui potens cęleſtibus Theoriis inferat contemplandis. Prauas propẽſiones debellat.

Dictis fidem exempla concilient, Duos potiſſimũ in hoc curriculo labores offendit Alexãder, inditam

C 2 pri-

primum animo cupiditatem ſciendi geniumq; ad ſtudia ingenuo homini iucunda propenſum, adde a Patre hęreditarium, atque a doctiſſimis, ſolertiſſimiſq; magiſtris impreſſum exemplo: ſecundò vigilias anteluçanas ordinibus Religioſorum ſolemnes; at Alexandro ſiue phlegmaticę habitudinis, ſiue tenerę ętatis, ſiue aduerſę conſuetudinis cauſa, omnino graues, ac noxias.

Quomodo immoderatũ ardorem ſtudij litterarũ tẽperauerit.

Et quidem propenſionem ingenii ſui ad litterarũ ſtudia preualidam fuiſſe palam profeſſus ſępius eſt; ab iiſq; diuelli longè laborioſius, & acerbius fuiſſe, quam a parentum aſpectu, ab amicorum vſu, ab ipſis vitę commodis, publiciſq; honoribus. Profeſſus inſuper nihil ita pupugiſſe animum, quam cum ſibi ſubreptis aliquando libris conſueta eorum interdicta eſt volutatio, qua ita afficiebatur, vt fungens ęditui officio, cum euocaret Collegas ad Diuinum officium, repertus ſit dextera manu funem Campanę trahens, lęua librum tenens adapertum intentiſſimus lectioni. Hoſce verò labores qua ille arte, quave ſtrenuitate vicerit, eſt cur miremur. Si quidem experimento edoctus, diuinorum librorum lectionem, cæleſtis beatitudinis contemplationem, obedientiæ Religioſæ cultum humanis litteris & merito, & fructu plurimum antecellere, ibi ſtudium ſuum omne ſiſtendum putauit, vbi Magiſtri cenſura definiret; libenterq; genium fraudans, vnum in librum, quẽ Magiſter delegiſſet, ex quo viuẽdi rationem accomodatam Nouitius hauriret, totus, atque horis duntaxat præfinitis incubuit: Summum ratus piaculum, oculos in alium conieciſſe, aut indicta temporis momenta legendo præteriiſſe. Quin eò Religionis compertus eſt deueniſſe, vt ad aliud

opus

opus interpellatus, non verſus ſolummodo, ſed verba ipſa interrupta, atq; adeo litterulas inchoatas relinqueret. Fallebat interdum hanc litteraturæ cupiditatem opificio manuum, veluti emundanda domo, excolendis hortis, apparandis Altaribus, aliiſq; ad leuamen ſociorum miniſteriis, eaque, ſi ita moderatorum arbitrio placitum fuiſſet, ſibi quoq; toto vitæ curſu magis placita affirmabat fore, quam quicquid oblectamenti e ſcientiarum ſtudiis captare poſſet. Hac arte ſitim illam litterariam ſin minus extinxit, vtpote non omnino culpandam, ad eum tamen modum, qui e Nouitii decoro eſt, perbelle contraxit.

Neq; minore ope nixus eſt in oppugnanda ſoporis violentia, quę illum aut prohibebat, aut ęgrè ſinebat precibus antelucanis adeſſe in Eccleſia. Vt enim ſe ab eo labore expediret, curam excitandi à ſomno Collegas obtinuit ſupplex à Prępoſito; quo in munere ita impiger extitit, vt pulſandę ſummo mane campanę prę ſcriptam horam ne vno quidem momento violauerit; Vtque certus exequeretur, inſtituit cęterorum vigilias per aliquam horę partẽ anteuertere. Quam vigilandi conſuetudinem conſtanter perſecutus, tam procul priſtinum à ſe languorem ſoporis excuſſit, vt quinis poſtmodum, aut etiam quaternis horis quieti datis contineretur; tãtundem animę excolendę adiiciens, quantum ſubtrahebat otio corporis. *Vim ſomnii vt ſuperaui.*

Nullum ſimiliter ſenſit vel leue naturę vitium, cui vim non inferret, nullam voluntatis prauitatem, quam non infringeret, nullum ſenſuum motum inordinatum, quem non componeret. Vt ita defecatus homo, & ſeculi corruptelis exemptus animus *Alia ſui Tyrocinij acta Religioſa.*

di-

dignum ſe Dei ſeruitio redderet, dignum Apoſtolico Congregationis miniſterio. In pannoſa attritaq; veſte plurimum decoris ponebat, in ieiunio, ſilentio, cilicio, flagellis, ac cæteris corporis afflictationibus delicias expertus, in increpationibus, atque iniuriis acceptis incomparabilem voluptatem, in exercendo famulitio gloriam ingentem, in labore requiem placidiſſimam, in obediendo libertatem auream, in euulgandis ſponte, & pleno Conuentu Fratrum propriis delictis maximam honeſtatem. Deniq; tyrocinium adhuc agens veterani partes implebat factus commilitonibus ſuis non tam exemplum Religioſæ perfectionis, quam admirationis argumentum.

Timorem, & iuuenilem erubeſcentiã vt vicerit.

Porro dotibus, ac virtutibus, quibus cumulatus erat Alexander, coronidem faciebat ingenua quædam verecundia, atq; iuuenili ore erubeſcens virgineus pudor ſpecioſiſſimum certe puberum ornamentum, & caſtimoniæ fida cuſtodia. Veritus autem, ne pudor ille impotens publicis obeundis muneribus ſuſcepti ab ſe inſtituti foret impedimento, temperãdum ſibi ab eo cenſuit. Proinde petiit addici functionibus, quæ hominum conſpectui, & allocutioni patent. Quare Ianitorem ſæpe egit, Aedituo ſocius adiunctus eſt, quæ officia in publicum cogunt hominem. Sæpe etiam in publicis Conuentibus ad pia colloquia inſtitutis, quibus nonnunquam Epiſcopi, atq; alii ſummæ ſanctitatis, ac eruditionis viri intererant, vbi de propoſita à ſummo Moderatore Collegii materia à ſingulis dicitur, non diſputationis cauſa, ſed excitamenti, Alexander ſenſa ſua promere geſtiebat, tam imperata ſibi fiducia, quam laxato ex intimis animi cæleſti ſpiritu quem fouebat: hiſque exercitamentis modum verecundiæ

iuſtum

iuſtum facilè præſcripſit.

Quod & alia occaſione perfecit. Nam cum illud à Propheta didiciſſet, in ſolitudine loqui Deum ad cor hominis, vt ipſe ſolus cum Deo ageret, ſeceſſum Cellæ mirum in modum adamabat, conſcius à Cella ad Cælum breui tramite pertingi. Attamen ne ingenio deceptus quidquam ageret, quod inſtituto repugnaret, Magiſtrum ſpiritus conſultum voluit; à quo monitus, huiuſce ordinis rationem ita ferre, vt ſocialem vitam ducendo, non tam nobiſmet viuamus, quam aliis, muniiſq; exterioribus nil minus, quam interioribus occupari oportere, ea tamen moderatione, vt neutrum perturbetur, neque intempeſtiuè alterum alterius vſurpet locum. His auditis popoſcit ille enixè addici domeſticis, externiſque officiis, & addictus in iis operam omnem intetus nauauit; exindeq; licet Monachorum contemplantium vitam commendaret, ſe tamen aiebat præferre mixtam Clericorum ſortem ferentem in operum delectu alieni iugum arbitrii, ex quo ampliora in Cælo pręmia manerent.

Paupertatis Religioſæ cultor perpetuus fuit; parſimoniam, & penuriam rerum etiam ad vitam tuendam neceſſariarum omnibus anteferebat diuitiis, & ſæculari ſplendori. Cum enim per ea tempora, incunabula ſcilicet ordinis, tam arcta inopia præmerentur Patres, vt vix quippiam certi, vnde victitarent, haberent, tenuem propterea vitam, & plenam incommodis ducere cogerentur, amicorum munuſculis, & piorum ſtipe, quam emendicabant, contenti: Is eiuſmodi anguſtias arridere ſibi præ omni copia rerum ſeriò dictitabat. Decumbebat lectulo quidam in paucis beneficus erga Collegium morbo

Amor Religioſæ paupertatis.

morbo grauatus periculoſo. Rogatus Alexãder preces ad Deum fundere pro illo reſtituẽdo, ac diutius ſeruando, ne ſi eriperetur, maiores in anguſtias Collegium cogeretur; reſpondit incunctanter: Nihil eſt quamobrem Deus per me tardet euocare illum ad Cæleſtem gloriam: Ipſe penuriam non timeo, non erubeſco pauperiem, nam eius experiundę gratia in hunc me locum recepi, hoc inſtitutum amplexus fui, illud potiſſimum animo proponens meo, ſenſibus aduerſantia omnia mihi Dei cauſa eſſe & ſubeunda, & ſuſtinenda. Apparebatq; iam tũ adoleſcens ſapientiam pręteruolaſſe Salomonis neque diuitias neq; paupertatem optantis, ne alterutro abuteretur; ad Apoſtoli autem Gentium eminentiam perueniſſe, qui copia rerum, & inopia prudenter vſus, & abundare ſciebat, & penuriam pati.

Prouerb. 36

Philipp. 4.

Studium diuinæ meditationis.

Pręcipuum ſanctimonię prẽſidium in vitę innocẽtia, & cordis munditie collocauit: ſtudium, & vim omnem in diuinorum conſideratione. Fit enim, vt hominis mens terrenis fecibus expurgata, quę ſuperiora ſunt ſpeculando, aere puriore perfruatur, inferiorum aſpectum dedignetur, Angeliciſque perfuſa ſuauitatibus, humanarum illicia reſpuat. Hinc orandi Dei perpes conſuetudo, qua ſibi in arduis vires, in dubiis lucem, in aduerſis firmitatem conquireret: Hinc nullo momento intercepta prẽſentis Dei inſpectio, quę potentiori freno ab ipſa peccati vmbra deterreret, & ad virtutum actus heroicos acrioribus ſtimulis vrgeret: certus ipſe ſe illius oculos nunquam fugere, cui totius vitæ reddenda eſſet ratio.

Ad hoc ipſum maximi adiumenti fuit ſacræ ſynaxis pabulum, quo ſe Dominicis carnibus, & ſanguiui

guini crebro commiſcens vitam illius referret, non ſuam. Mirum eſt, quanta familiaritate conuiuam exciperet hoſpes ille benigniſſimus, quam inſolita oblectatione inebriaret: mirum quoq; quam teneris oſculis, blandiſque allocutionibus cõuiua cum hoſpite vteretur. Sępius directori (vt decet inexpertos) ſignificauit, ſe ad eam mentis dulcedinem, & priuata Dei colloquia proreptum, vt exuberantibus vndis illecebrarum, abſumenteque præcordia incendio amoris, cordis deliquium non ſemel fuerit paſſus; & deliciarum imbre liqueſcentis animæ vigorem defeciſſe. Interdum, vt affirmabat ipſe, intima cordis aure diuini inſtinctus voces percipiebat eiuſcemodi, Mihi ſoli totus, Totus mihi ſoli: Nullus ſit altiſſimæ ſanctitatis gradus, quem non inambulaueris. Idcirco mirandum eſt nemini, ſi tanto robore cofirmatum nihil poſthac aſperum de propoſita conſtantia diuini obſequii excuſſerit.

Religioſa Vota emittit.

CAP. V.

EXACTIS in tyrocinii ſtadio annis tribus, cum ſe per omnes regularis militiæ gradus ſtrenuum tyronem probaſſet, accederetq; iam propius ad curriculi metam, de fide eiſdem caſtris in perpetuum danda deliberat. Non enim eo tempore ante triennale periculum in hanc militiam iurare iunioribus

licebat: Vt Iacobi Antonii Morigiæ primi Præpoſiti huiuſce Congregationis, authoritate, ac prudentia notiſſimi, inſiſteretur ſententiæ, qui illud crebro vſurpabat, Alumnis Paulinæ familiæ per ignem, & aquam tranſeundum, vt Regularis, Apoſtolicęq; doctrinæ fundamenta altius ponant.

Emittit vota Religioſa

Igitur ineunte anno quarto Tyrocinii, V. Id: Augusti an. 1554. inter conſeſſum Patrum in genua abiectus enixè rogat, vt ſibi ſolemne Sacramentum in hunc ordinem dare liceat. Id ipſum iterato Idibus eiuſdem menſis, ac deniquè Kal: Septembris deprecatus. Ne, quæ pretioſa ſunt, facile habita vileſcant, nonnunquam quæſita differre præſtat. Trinæ adoleſcentis petitioni trina reſpondit Iudicum conſenſio, & conſpirantibus in vnum ſuffragiis, de nuncupandis votis Religionis ſit illi poteſtas: Quæ pòſt inter manus Io. Petri Beſutii Congregationem moderantis publicè in Eccleſia S. Barnabæ feſto die dedicationis Beati Michaelis Archangeli enunciauit, & ſolemni ritu ſe totum Deo, & Congregationi dedicauit.

Emiſſa adamuſſim ſeruat.

Factus optati compos, nihil ſibi quaſi tyronum legibus ſoluto de ſubmiſſione, nihil de conſuetis exercitationibus, aut de auſteritate vitæ remitti paſſus eſt: pro certo habens, tutiſſimam eſſe, non tyronum duntaxat, ſed & veteranorum eam legem, vt qui ſemitam perfectionis inſtitutam tenere ab omni vel exiguo errore ſecurus velit, priſtinos dies traductionis ſuæ ad Chriſtum, atq; prima animi propoſita ad omne horæ momentum in memoriam reuocet, ac inſequatur. *Spopondiſti? monebat ſapiens, Defixiſti manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui. Diſcurre, feſtina, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent*

Prou. 6.

mitent

mitent palpebra tua. Itaque Conſtitutiones, & Canones Ordinis deſcriptos perpetuò geſtabat in ſinu, nulla non die aliquid perlegens, quo ſe illorum vſui magis, ac magis addiceret. Quin etiam creatus Epiſcopus non deſtitit aliquid in dies lectitare ad actus ſuos illarum præſcripto conformandos. Sicut autem regularis diſciplinæ acerrimus cuſtos fuit, ita & ſui ipſius cenſor accuratiſſimus, cauens a leuiſſima quaq; mali ſpecie, & nihil eorum prætermittens, quæ honeſtum, Religioſumque decent virum. Superiores iuſtitias oblitus,& ad nouas alacrius properãs. exequutus facto ſapientis dictum, *Semita iuſti, quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Prou. 4.

Vitæ innocentia.

Per ea tẽpora in more erat apud priſcos illos patres, quod & apud eorum poſteros viget, vt Sanctimoniæ ſtudio in hebdomadam ad culparum accuſationem, & correptionem conueniant omnes ibique ſuimet quiſque accuſator propria pudibundus propalet errata, fungaturq; alter alterius monitoris officio, dicta, aut facta ad cenſuram reuocando; vt ita caſtigatis ſinguli vitiis ad culmen ſanctitatis conuolent. Quæ omnia certo libro etiamnum extanti mãdabantur: vbi de Alexandro quidem illud tantum reprehenſibile adnotatum legitur, quod tyrocinii tempore ſtudiis litterarum intentior vacaret, & verbum non ſatis lene incauto ſemel exciderit. Quo planè liquet a næuulis etiam,quibus ſcatemus,omnes, fuiſſe diligentiſſimè perpurgatum.

Neque argumentum leue fuit adultæ iam, & conſummatæ virtutis, quod cum in ea Congregatione recentes ab emiſſa profeſſione, vt firmentur magis, ac proferantur virtutum radices, quadriennio adhuc Legibus nouitiorum ante annum ſoluitur.

 Reli-

Religioſæ pędagogiæ ſubiiciantur, a negociorum ſtrepitu, & a communi congreſſu remoti, operā duntaxat pietati, ac litteris nauantes: Alexander ante peractum annum Magiſtri diſciplinę ſubductus ſuę ipſius curæ, & arbitrio ſit relictus, tanquam edoctus æſtuoſum hoc mare tutò, ac ſine duce tranſmittere: quin etiam non multo poſt velut exautorato militi creditur tyronum ipſorum magiſterium.

De litterarum Studijs, & Progreſſu.

C A P. V I.

INGENII acumine, vti diximus, pollens Alexander acerrimo, quo facile veritatem inueſtigando aſſequeretur; memoria tenaci, ex qua de perceptis efflueret nihil: Iudicio ſincero ad veri, falſique diſcrimen: doctrinæ inſuper cupiditate flagrans, haud ægrè liberalium diſciplinarum apicem tenuit, addente etiam ſtimulos fame alienæ ſalutis, quam litteris, nō ſola pietate, plurimum iuuari non ignorabat.

Præludia ad litterarum ſtudia capeſſenda.

Otium ingeniorum luem, & deſidiam peſtem ſtudioſorum omni temporis momento in primis abhorruit. Acriter contendit in expugnandis animæ prauis affectibus, vnde menti humanæ offunditur caligo. Senſuum oblectamenta, quibus intellectus obtunditur, & homo rationis luce angelicis ſpiritibus comparan-

Digitized by Google

parandus in belluinam ſtupiditatem deſciſcit, ſolertiſſimè effugit. Vigiliis, ſolitudine, laborum patiẽtia, irrequieto ſtudio, præcipuè autem orandi aſſiduitate, planũ ſibi ad ſcientias omnes patefecit iter.

Cum litteris ſtudium pietatis cõniũgit.

Verum ne appetitus ſciendi ſtudium Religionis, operaq; pietatis infirmaret, aut contra; ſed magis pietas connubio ſcientiæ, ſcientia pietate corroboraretur, vtrique ſua partitus eſt temporum ſpatia, vt nihil de ſacra lectione, meditatione, & fouendæ pietatis pabulo quotidiano ſurriperet, nihilq; de domeſticis miniſteriis, & regularis vitæ inſtitutis ad augendæ doctrinæ ſtudia transferret; nec ſtudia doctrinæ debita temporum vice fraudaret.

Ne diſcipuli intellectum obruant ſubtrahitur ſcriptorum copia.

Quoniam vero ingenita illi, ardenſq; doctrinæ ſitis Alexandrum plus iuſto divexabat, vt non niſi euolutatis aliis, atque aliis authorum ſcriptis acquieſceret; quo fiebat, vt in multiplici doctorum varietate diſcipuli obrueretur mens, potius quam illuſtraretur, cautè, & opportunè occurrentes Patres, pro cuiuſque ſtudioſorum captu, ac neceſſitate vnũ, aut alterum authorem tradi decreuere, ne librorum multitudine, ac varietate ingenia iuuenilia confunderentur. Intelligebant enim, quod prudenter monet Seneca, Lectionem multorum authorum, & omnis generis voluminum habere aliquid vagum, & inſtabile: Certiſque potius ingeniis immorandum eſſe, & in iis enutriri oportere, ſi velis aliquid, quod in animo fideliter ſedeat. Nec referre quam multos, ſed quam bonos libros habeas, ac perlegas: lectio enim certa prodeſt, varia delectat: Sed qui quò deſtinauit, peruenire vult, vnam ſequatur viam, non per multas vagetur: non enim ire iſtud, ſed errare eſt. Hactenus

Sen. ep. 2. & 45.

nus ille. Quod quamquam durius initiò videretur Alexandro librorum auidiſſimo; poſt tamen ita reſtrictum, ac definitum lectionis vſum ſibi pervtilem fuiſſe perſpexit. Nam Doctoris Angelici doctrinam omni ſtudio complexus, Theologicam eiuſdem Summam ita firma memoria tenuit, vt de eo in vulgus iactaretur; Si forte B. Thomæ aurea Summa deperiret, eandem ad verbum reparaturum Alexandrum: tam illi inhæſerat ſtudioſus, tam illa ſtudioſo.

Fructus inde perceptus.

Tandem indefeſſo labore, aſſiduiſq; lucubrationibus tantum profecit, vt partæ ſcientiæ experimenta daturus, centum quinquaginta poſitiones Logicas, Phyſicas, Metaphyſicas, ac Theologicas Mediolani coram toto Senatu, & Senatus Præſide Petro Paulo Arrigonio, cuius nomini nuncupatę prodibant, coram litteratorum florentiſſimo conſeſſu de Cathedra propugnauerit, tam eruditè, & ſtrenuè, vt mage docentis, quam diſcentis partes ſuſtinuiſſe viſus ſit. digniorq; tradendis diſciplinis magiſter, quam accipiendis auditor.

Poſitiones logicas, Phyſicas, Metaphyſicas, & Theologicas Mediol. publicè propugnat.

E puluere ſcholaſtico eductus ſtudiorum fructus produxit primum habitis priuatim concionibus ad Patres inter menſam: nonnunquam publicè in æde S. Barnabæ ſextis feriis quadrageſimæ, tanta dicendi arte, tanto rerum pondere, verborum delectu, ardore dictionis, & ad perſuadendum facultate, vt prę conio diuini verbi præcipuè natum iudicarint Patres, qui eum propterea tanto muneri addixere, quãtumuis obſiſteret immatura ætas adoleſcentis, annum vigeſimum primum nondum egreſſi.

Specimen Concionatorij muneris.

Sacris

Sacris Ordinibus, & Sacerdotio initiatur.

CAP. VII.

EMICABANT ex hoc adoleſcente ſanctitatis tam patētes radii, ſiue os intenderent Patres, ſiue dicta, & facta ſingula, vt poſthabita veteri conſuetudine, quæ recentes a profeſſione ab ordinibus ſacris prohibebat, ipſum intra primum trimeſtre Subdiaconatu, ſubſequente autem Iunio Diaconatu, ac proximè Sacerdotio præmaturè initiandum cenſuerint. Vix enim attigerat ætatis annum ſecundum ſupra vigeſimum, vix ab emiſſa profeſſione ſecundum exceſſerat, cum de eius Sacerdotio conſultum fuit in comitiis, poſt diuturnam precum, ac ieiuniorum contentionem, & præmiſſo per Prępoſitum ſacrificio ſolemni, tanquam pro re graui, ad Spiritum Sanctum. Obſtabat ſiquidem ætas Sacerdotio minor, & inſpecta Religionis cōſuetudine pręceps inauguratio. Sed ſuadebant ſingularis, & incomparanda probitas adoleſcentis, ſeniles ſenſus, oris maieſtas, & corporis habitudo ſupra ætatem, vtque per Sacerdotii acceſſum creſceret miniſterio verbi Dei aliquid authoritatis, auditoribus profectus, Religioni ſplendor, & ipſi ad ſuperiores virtutum gradus acutior ſtimulus. Annorum immaturitati facile ſuppletum

Subdiaconatum, & Diaconatum ſuſcipit.

Difficultas, & decretum de Sacerdotio.

pletum iri per Pontificiam facultatem, quod priſca illa tempora ferebant: Legi vero, ac conſuetudini Congregationis non aduerſari in priuato, & vltra communem vſum meritiſſimo priuilegium. Deniq; omnibus ritè expenſis, vniuerſim in Alexandri Sacerdotium aſſenſum eſt.

Alexandri pauor de gradu Sacerdotali.

Ille vt erat de tanti Sacramenti amplitudine, ac de hominis mortalis immerito egregiè doctus, vbi primum ſibi de Sacerdotio decreto audiuit, pauore perculſus ingenti, nullum non mouit lapidem, quo ſibi ad illud aditum intercluderet. Anxius illacrymare, humi proſterni, iuniorem ætatem coram patribus incuſare, vt ab ea ſententia diſcedant orare, per fidem, per pietatis viſcera obteſtari. Verum contra ceſſit, & vnde Patrum voluntates infringere nitebatur, inde pro ſe inflammabat vehementius, conſiſtentibus omnium votis. Succubuit tandem maiorum arbitriis, ne obedientiæ limites egrederetur: Temporis modo inducias expoſtulans, quibus ad Sacramentum Angelicis mentibus formidandum, ſi non aptè, minus ſaltem ineptè, & minus indignè ſe compararet.

Comparat ſe ad Sacerdotium.

Ad hoc ſe ſe accingens ab omnium ſecedit colloquio, & conſuetudine, ſtatas horas ſomni, & ſi iam perbreues corripit, ingeminat ieiunia, exercet dirius cilicio, & flagellis corpus, denique anteactos pœnarum modos accumulat nouis. Potiſſima horarum ſpatia ſui ipſius explorationi, conſcientiæ expurgandæ, & eluendis malè admiſſis inſumit, quò ſe mundiorem exhibeat ſacris Altaribus, & gratus ipſe Deo gratiores immolet hoſtias. Reliquum temporis partim impendit meditationi diuinæ legis, cui magis, ac magis obſequatur, partim recolendæ Christi Domini vitæ, quam imitetur, partim contemplandæ

recon-

Digitized by Google

reconditæ illi Deitati, ac Maieſtati,quæ omnem humanum, atque Angelicum ſenſum tranſcendit; partim quoq; ſcrutandis voluminibus, quibus rituum, ac Cæremoniarum Sacrarum quam conſultiſſimus fiat.

Haud facile dictu, quibus inter hæc radiis diuini numinis ſit colluſtratus, quam ingenti flagrauit æſtu diuinæ charitatis; in quantam abierit humilitatis abyſſum, quas in admirationes elatus, vt rediit ſordibus humanitatis defecatus, vt Deo gratioſus, vt plenus. Auſim de illo vſurpare quod de Sacerdotum prototypo Apoſtolus; Rediit innocens, impollutus, excelſior Cælis factus. Hebr. 7.

Tandem Sabbato poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ ann. 1556. Sacerdotio initiatur, ea cum animi ſuauitate, eaque modeſtia, ac pietatis ſpecie, vt in conſortes, & in ipſum Antiſtitem ſacrantem, neſcio quem ſenſum pietatis, & intimi gaudii aſpectu ipſo afflare videretur. Sacerdos inunctus priſtina ſolitudinis exercitamenta repetens, reliquos dies, ac noctes altiori rerum Cæleſtium ſtudio donat. *Initiatur ann. 1556.*

Litauit primum die Dominico in Albis, animo candidior quam Alba; reiecta prorſus vulgari pompa, & oſtentatione magnificentiæ, fidei verò, reuerentiæ, cæleſtis gaudii, & feruidiſſimæ charitatis apparatu ſpecioſior. Fidei quidem luce adeo ſplendenti fulgens, vt hæc ſacroſancta, & humanæ rationi imperuia myſteria, non tam credere, quam cernere, ac tangere videretur. Aeſtus vero charitatis de calenti corde tantopere exundauit, vt ardore tranſmiſſo inflammata facies animos ſpectatorum admiratione perculſos ſuauitate quadam inexplicabili *Primum Sacrum facit.* *Celebrantis fides, & ardor.*

 comple-

compleuerit,& lacrymans ipſe ad collacrymandum prouocauerit. Porro hunc celebrandi ritum ad extrema vſque vitæ pari ſtudio, & attentione, paribuſque pietatis, amoris, ac reuerentiæ ſenſibus eſt proſecutus.

In Sacras Conciones incumbit

C A P. V I I I.

PRAETER ID QVOD nullum eſſet ſcientiarum genus quod Alexander in caſtris litterariis emeritus ignoraret, genium quoq; nactus ad omnia promptum, vno ſimul tempore, & Magiſtri eruditiſſimi,& Cócionatoris Apoſtolici officio pro dignitate eſt functus: quaſi iam tum ad ſublimitatem munerum
Tit. 2. Epiſcopalium a Deo deſtinatus, vt vitę integritate, ſanitate doctrinæ, verbo irreprehenſibili, & benè agendi exemplo, aliquando Chriſtianam plebem ad regna cęleſtia manu duceret.

Addicitur Concionibus

Igitur enunciando verbo Dei addictus, in primis
Animi præparationes. quęcunque ſinceritatem mentis adulterarent, ſpem frugis eluderent, aut quoquomodo opus ſanctiſſimum inficerent, quam longiſſimè amandauit. Nil ſibi de conceſſis a Deo donis ſolitus vendicare, non oſtentare memorię, vel ingenii laudem, nullam de doctrina, vel eloquentia gloriam captare, & vt vno dicam verbo, non ſeſe venditare, aut prędicare; ſed

Digitized by Google

ſed Ieſum Chriſtum; cui tanquam omnis ſapientiæ fonti nouerat quicquid ſciret, aut boni ageret, tribuendum. Quod autem ab aliis accepiſſet, non tanquam ſuum dicendo iactabat, ſed quibus debebatur acceptum referebat; ingenuum eſſe ſciens, per quos didiceris, confiteri.

Doctrina ſana, ex Euangelio, aliiſve Sacris codicibus, ex orthodoxorum Patrum, atq; Doctorum monumentis deprompta. Familiares in concionando duces habuit Gregorium, Chryſoſtomum, Bernardum, & Patrum collationes apud Io. Caſſianum; quorum vt mores in vita, ita in concionando Spiritum repræſentabat. Ludolphum de vita Chriſti, mira pietate, ſalutaribuſq; documentis refertiſſimum, & perlegebat ipſe, & aliis perlegendum proponebat. Ex Doctoribus autem, Seraphicum, atq; Angelicum, cuius Summam, vt præfati ſumus, ita eſt mente complexus, vt deperditam dictare ipſe per ſe poſſet. Non tamen vir alioqui doctiſſimus multa ſcire ſe præferebat; ſed in multis quaſi neſcius edoceri, quam docere erat promptior. Ad excitandum pietatis proprium ſpiritum, frequens præ manibus habebat aureum opuſculum, de Imitatione Chriſti, dubio authore editum, ex quo ſeſe percepiſſe vberrimos fructus profitebatur.

Doctrina ſana.

Quos habe-ret familia-res doctores.

Libellum de Imitatione Chriſti vnicè adamat.

Vtilia, nō in perſuaſibilibus humanæ ſapientię verbis, aut in ſublimitate ſermonis, ſed in doctrina ſpiritus, in veritatis manifeſtatione, & pondere ſententiarū docuit; verbo efficax, & feruidus, qui animis auſcultantium potius faces amoris, & timoris diuini, quam auribus humanam ſermocinationem miniſtraret; gratia tamen dictionis, & actionis perquam ſuauis; ſtylo res omnes licet abſtruſas facili quidem

Stylus vtilis, non fucatus.

Feruor dicentis.

Digitized by Google

explanabat, vt facile ab omnibus caperetur; ſed tamen graui, ac rite ordinato, ne triuialem, & perturbatum nauſearent docti: vtque hoc pacto ſapientibus, ac inſipientibus debitor vtroſque vna eſca paſceret.

Fama ſacræ eloquentiæ.

Tantam dicendo famam apud Auditores ſibi cõciliarat, vt vix vnquam de ſuggeſtu deſcenderet, non onuſtus præda pænitentium. Neq; id mirum in homine, cui tantis rerum opibus affluenti non mediocres quoq; vires adderentur ex omnium virtutum connubio, præſertim ex profunda ſui demiſſione. Nam quo die concionem habebat, plauſum officii aliquo abiectionis voluntariæ compenſabat exercitio, puta emundandis ſua manu patinis a menſa, diſcumbentibus miniſtrando, ægrotis inſeruiendo, pauimenta inſtar famuli ſcoparii deuerrendo, aut humilioribus aliis miniſteriis ſeſe deprimendo, quò ampliorem a Deo demereretur opem. Porro quandiu concionum muneri vacauit, nunquam ſe voluit a domeſticis laboribus, aut ab ordinis ſeruitiis immunem, non a publica pſalmodia, nõ a piis collationibus, non a ſuis officiorum vicibus, aut vel ab vna communi opera contubernalium.

Depreſſio ſui ipſius.

Quo autem loco, aut qua opinione eſſet apud Congregationis Primates, inde fit liquidum, quod nouum erecturi Cænobium in Vrbe Ticinenſi, ad deducendam eò coloniam vna cum Io. Petro Beſutio, & Paulo Maria Homodæo Congregationis Principibus Alexandrum delegerint, qui ſuæ eruditionis, pietatis, ac eloquentiæ luce aliquam eiuſdem Congregationis ſpeciem preferret. Quod quidem perfecit egregiè, atq; inibi in futura tempora nobile Theatrum ſuis aperuit virtutibus.

Sæpe

Sæpe Mediolano Ticinum, ſępe Ticino Mediolanum diuini verbi pabula populo daturus remeabat. Mediolani veſpertinis ſermonibus ad populum erudiendum, ſimul & excitandum epiſtolas Apoſtoli potiſſimum enarrare aggreſſus eſt, interpretatione perfacili, fructu autem concionis mirifico. Ex quo Ordinis vſu familia hæc Clericorum a perlegendis, & interpretandis Pauli Epiſtolis, ſectandiſq; eius veſtigiis Paulinorum cognomento, & Pauli patrocinio honeſtari ſe gloriatur. Quare memorandus ille, ac Sanctiſſimus Mediolanenſis Antiſtes Carolus Borromęus audita Alexandri fama in eo dicendi, ac docendi genere eximiè frugi, rogauit vti feſtis diebus poſt decantatas veſperas munus explicandi Epiſtolas in Templo Metropolitano ſubiret: tanto apud doctiſſimum Præſulem elogio donabatur interpres Pauli Alexander.

Mediolani Epiſtolas Pauli de ſuggeſtu interpretatur.

Indè Clerici Reg S. Pauli nuncupati.

A Diuo Carolo Borromæo rogatus idem prę ſtat in ſua Metropolitana.

Cum vero tractu concionandi prolixo peritiſſimũ ſe, ac veteranũ ea in arte probaſſet, Patres in Comitia generalia redacti, quibus idemmet Alexander præſidebat, inquirentes hominem, qui methodum rectè prædicandi iunioribus præſcriberet, in eum tãquam clariſſimum Religionis, ſapientiæ, & Chriſtianę dictionis exemplar oculos coniecere, mandantes vt ſacrę eloquentię addictos tyrones pręceptis, ſtylo, ac exercitatione excoleret. Quid in Cœnobio hac in re egerit, generatim innuiſſe ſufficiat: quę inde euocatus perfecerit, ſuis quęq; locis memorabuntur.

Iunioribus rectam methodum concionandi prę ſcribit.

Magiſterio

Magiſteria Alexandri.

C A P. I X.

SICVTI ad perfectum virtutis cultum adminicula non ſpernenda promunt de ſcientiarum theſauris viri Religioſi, ita qui alios erudiunt ad iuſtitiam opem non vulgarem, fiuntq; ſplēdore doctrinę quaſi ſtellæ fulgentes in perpetuas ęternitates. Hoc in numero recenſendus venit Vir Dei Alexander, qui quam diuturno comparauerat labore ſapientiam, ſponte & ab inuidia procul, lętus aliis communicauit, priuatis colloquiis, publicis Concionibus, & in litterariis gymnaſiis: ſecutus ſapientis conſilium. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.*

Prov. 5.

Philoſophiā ac Theologiam docet Ticini.

Ab ordinis ſui Pręſule Philoſophię primum, deinde Sacrę Theologię Doctor in Collegio Ticinenſi, tam pro Alumnis Congregationis, quam pro aduentitiis eſt conſtitutus, vbi ſcientiarū magiſterio leges Chriſtianę, ſanctęq; vitę attentè copulauit: non tam dogmatibus phyloſophorum, quam praxi virtutum diſcipulos imbuens, neq; vt ethnicus Magiſter, cui prẹter ieiunam diſputationem nihili eſt veri, ac recti intelligentia; ſed vt Chriſtianus inſtitutor, qui doctrinam omnem ad Summi Dei cognitionem, ad morum temperantiam, & ad ęternę vitę aſſecutionem, quę ſtudiorum iuſta eſt meta, intendere nouerit.

Docentis ſcopus.

Digitized by Google

rit. Quemadmodum enim parum eſt multa ſcire, ſi fructuoſè ſcire neſcias, ita niſi vtiliter, & ad ſalutem doceas, nihil doces. Qua in re non oleum, non operam perdidit; ſemina etenim illa pietatis inter docẽdum in teneros animos diſcipulorum immiſſa tempore ſuo effloruere, copioſoſque peperere fructus; Compluribus ex eius diſciplina quaſi e ſanctitatis palęſtra ad caſtra Religioſorum prodeuntibus, multis ad Eccleſiaſticę dignitatis munia prouectis, multis in ciuili Magiſtratu probatiſſimis. Hi Alexandrum ſummo ſemper obſequio, & reuerentia omnes ſunt venerati, virtutum non minus, quam ſcientiarum Magiſtrum.

Operam ſeriò nauauit pręmeditandis, digerendiſq; materiis, quas traderet; animaduertenſq; humani ingenii vires in rimanda veritate ſępe eludi, pertinax ſuum ſtudium radiis ſuperni luminis roborãdum putauit, nullam pręlectionem auſpicatus non præuia precatione, adiuncto ieiunio vbi ſcrutandæ res reconditæ offerrentur. Ex Scriptorum placitis quæ ſolidioris, quæq; euidentioris eſſent notionis, ea deligebat: Inanes quæſtiones, quæ mentis curioſitatem nulli vſui paſcerent, deuitans perquam diligenter. Agnitæ autem veritati inhærens mordicus, propugnauit conſtantiſſimè. Abhorruit etiam atque etiam a contumacium contentionibus, quæ oſtentationi duntaxat inſeruiunt, ad veritatem indagandam minimè conducentes. Et ne quando ſciolis anſam daret altercandi de nugis, ſententiam ſuper his rogatus, aut ignorare ſe, aut alieno ſenſui malle adhærere profitebatur. Dicenti cuipiam compertiſſimam ſibi eſſe ſalutem Salomonis, Alexander quãuis ab ea alienus opinione videretur, Ego verò, inquit, ſi ita eſt,

Studio, diuina prece, & ieiunio lectiones præuenit.

Fugit altercationes ſciolorum.

ita eſt vt dicis, de ſalute Salomonis mihi gaudeo, tibi gratulor: mallens ſcilicet dubiam controuerſiam paucis contrahere, quam longius diſſertare.

Regulas ſtudiorum noſtris definit.

Inter noſtros ſæpe doctor, ſæpe ſtudiorum moderator fuit; regulas, horas, & omnem ſtudiorum ordinem definiuit. Eius vigilantiæ commiſſa ſpiritualis quoq; iuniorum educatio, ne dum litterarias diſciplinas acquirunt, faciant Euangelicarum iacturam, & a Gymnaſio facile auocatis ſtudia frigeſcant.

Laurea Sac. Theologiæ Ticini inſignitur.

Vt vero doctrinæ aliquod etiam pondus ex gradus authoritate accederet, quod apud nonnullos, eoſqúe inſignes Cænobitas vſitatum eſt, laurea doctorali decorari voluere Patres, cum iam magnæ eruditionis clariſſima experimenta, vti Palæſtrites; & Palæſtritarum inſtructor, ac Præſes edidiſſet. Igitur Anno 1563. in ædibus Epiſcopalibus, exhibito in Magiſtrum ſententiarum ſuę ſapientię ſpecimine adſcribitur albo Doctorum Academię Ticinenſis, donatus laurea Sacrę Theologię, refragrante nemine pręter ipſum Alexandrum, cuius modeſtia ſplendorem graduum, ac dignitatum auerſabatur.

Munus publici doctoris non obijt in Academia Ticinenſi, ſed domeſticos intrà parietes.

Publici vero Doctoris magiſterium in Ticinenſi Atheneo obiiſſe (vt in vulgus manauit) neque illius Academię tabulæ, neque Doctorum ſeries, neque priſca ſui ordinis monumenta docent; niſi publicum eſſe illum velis, qui in Auditorium domeſticum quoſcunque aduentantes excipit; quod multos per annos in ea Vrbe feciſſe Alexandrum negabit nemo. Hoc paucis inſinuat Antonius Maria Spelta, Ciuis Papienſis, & Chronographus. In Cęnobio, inquiens, Logicam, Philoſophiam, Theologiam, & Conſcientię Canones tradidit. Ca-

thedram

thedram porro Philoſophię eidem delatam an. 1566. ab illuſtri Protophyſico, & Academiæ moderatore Nicolao Boldonio, Patritio Mediolanenſi, noſtrorũ amantiſſimo, Patres poſt preces triduanas, perpenſis hinc inde momentis, quæ rem aut ſuaderent, aut diſſuaderent, renuere, vti ſuis inſtitutis parum conſectaneam. Vtque poſthac ambitioni, ac dignitatum cupidini via intercluderetur, poſt vnicum Alexandrum ſuſcipiendæ laureæ facultas ſublata eſt.

Neq; putes hunc Ven. Dei Seruum in concionibus, & Acroamatis ſeſe continuiſſe; admouit ad quæq; munia religioſa animum, manumque, & qui totus erat in ſuggeſtu, totus in Cathedra, totus quoque erat in arena piorum operum, factus non omnium modo horarum homo, ſed & omnium rerum vir. Quæſtiones morales de vita rectè inſtituenda tradidit; ſuper diuino, humanoque Iure conſultus pluribus reſpondit; perplexos, vt aiunt, caſus conſcientiæ enodauit, audiendis ſacris confeſſionibus, inducendo Sacramentorum vſui plurimam dedit operam, ægrotos frequens inuiſit;, pia ſodalitia adoleſcentium fundauit, rexitque, pueris rudimenta Chriſtianę fidei expoſuit. Ad omnia pręſto adfuit Hyppolito Rubeo Papienſi Epiſcopo, poſt S. R. E. Cardinali, qui illum ſibi Theologum adoptauerat, examini, & ſcrutinio Clericorum præpoſuerat, aſſumpſeratq; in dubiis iudicem, in agendis ducem, & in Epiſcopalibus officiis comitem. *Alia ſerũ Dei munia.*

Præpoſiti vices in Cænobio Ticinenſi ſplendidè, & cum omniũ plauſu ſuſtinuit, domeſtica interim, ac humiliora miniſteria ferẽs; intermiſſę fabricę Tẽpli conſtructionem promouit: Patrum inopię corrogata ſtipe ſubuenit: Qua in re illud etiã Religioſæ paupertatis,

Exemplum Religioſæ humilitatis.

ſuique contemptus exemplum dedit inſigne, quod allatam a conſanguineis tritici copiam, ne per baiulos pretio conductos importaretur in horreum, ipſe Præpoſitus ſaccis includens ſuis humeris, adiutus a ſociis alacriter e publica via ſuſtulit. Bibliothecã amplificauit dono datis a Patre codicibus. Quid plura? nunquam agendis defuit, ab actis nunquam cum tædio receſſit, dura patiens, ad duriora ſemper paratus, fidus, atque infractus Dei, Eccleſiæ, & ſui Ordinis miniſter.

Inuitus præponitur regimini ſui Ordinis; eiuſque in regimine ornamenta.

CAP. X.

ALEXANDRUM ex vmbratili ſeſſione ſcholarum ad altiora iam vocabant propria merita, & qui abundè Papienſe ſolum rore doctrinæ ſuæ fęcundauerat, ipſum ad patrii culturã migrare par erat. Aliquoties igitur ex Papienſi Collegio ad Mediolanenſe traiiciens, ſiue concionum, ſiue negociorum cauſa, tandem An. 1567. ad ſui ordinis comitia apud S. Barnabæ delegatus venit. In iis primum propter notiſſimam viri integritatem, & inuiolabilem ſecreti religionem, excipiendis, fideliterq; referendis Conſultato-

Ad comitia generalia ſui ordinis delegatur.

tatorum ſuffragiis (quod vulgo eſt, ſcrutatorem agere) præficitur. Præſes deinde Comitiorum & ſi iunior renunciatur. Poſtremum deſignatur Præpoſitus S. Barnabæ, cui vniuerſæ Congregationis Præfectura, & adminiſtratio incumbebat. Spes erat, eaq; non futilis apud ſeniores illos; poſſe ſub iuuene vix annum trigeſimum ſecundum egreſſo, tanquam ſurculo recens ſurgente, reuiuiſcere priſcum illum virtutis vigorem, & regendi antiquam induſtriam, quæ in ſenio confectis fracta, & exoleta videbatur. Suffragiorũ ſcrutator eli gitur. Comitiorũ Præſes. Præpoſitus Generalis Congregationis.

Rem proculdubio proſpexerat Io. Petrus Beſutius probatæ virtutis homo, primaſq; tunc in Congregatione gerens. Is namque Dominico Saulio de vniuerſa Cõgregatione pluribus nominibus optimè merito, ſupplicibus litteris roganti, vt ſibi propriis focis extorri, & in Ticinenſi profugio aduerſus inuidorum moleſtias degenti, a Patribus concedatur Alexander filius, nimirum vnicus deuexæ ætatis baculus, exagitati ſolatium animi, & in extremo vitæ ſubſidium ſingulare, ita reſponderat, libenter Patres precibus annuere, quouſq; comitia ineant; Cæterum nihil vltra polliceri: quaſi inaugurationem eius præſentiſcens. Idem certiore vaticinio eſt aſſecutus B. Carolus Borromæus, qui cum ſibi tam fauſtè, & fæliciter ceſſiſſe primum Concilium Prouinciæ cerneret, ingenio, ſedulitate, ac ſapientia Alexandri, illum Ticino traductum, in ſua Metropoli hoſpitari velut indiuiduum adminiſtrum expetierat: ſed obſiſtere intelligens patris Dominici iuſtiſſima vota, & ſeniles lacrymas, acquieuit tunc quidem ſeniori, ac patri: fidens animo ſatis ſibi quoq; breui faciendum. Nec ſpem euentus fefellit, electo poſt annum Præpoſito S. Barnabæ Alexandro, & commorante in Prognoſtica.

Digitized by Google

ipſa vrbe Mediolano, vbi Pręſul maximus eius Ordinis ſedem ex inſtituto habet.

Secundo, ac tertiũ Prępoſitus Generalis.

Iterum autem, ac tertium collata fuit ea Prouincia Alexandro annuis ſubſecutis comitiis. Siquidem vnoquoq; anno de inſtaurando Rectore Congregationis decernebatur. E quibus anno altero etiam illud non minimæ gloriæ tributum Alexandro, quod cum priſco more qui Congregationis vniuerſæ præfuiſſet, a Præſidatu proximorum comitiorum arceretur, ei tamen propter ſinceritatem fidei, mentiſq; integritatem vna omnium conſpiratione indultum eſt, vt Expræfectus comitiis ipſis quaſi Interrex præſideret.

Oblatæ dignitati obſiſtit.

Quam ægrè, quamque reluctante genio ad eiuſmodi gradum trahi ſe pateretur ille honorum contẽptor, immò verò oſor, indices fuere certiſſimi candentes ſolutis comitiis genæ, & toto vultu ſuffuſus rubor, oculos ipſos procul ſtantium feriens, tantæq; moderationis miraculo complens. Neque id ſolum, nam & oratione fortiter reniti auditus eſt, ac lacrymis profuſis implorare abdicationem. At Patrum ſenatu minimè exorato, ad nutum tandem diuinum, & illorum decreta ſeſe componens ſubiuit iugum:

Coactus iugum ſubit. 1. Petr. 5.

Non ſenſu vllo dominandi in Cleris, ſed vt forma gregis ex animo factus commiſſas oues regeret, & Chriſti Domini veſtigia conſectans, aliis miniſtrare magis quam ſibi miniſtrari ſatageret, reip: ſtudens commodis, & ſubditorum potius parens imperiis.

Ornamenta Alexandri Prępoſiti.

Nihil illo duce ſecurius ad rectum iter ſalutis, nullum ad ſanctitatis numeros omnes abſolutius exemplar, cuius in aſpectu eluceret facies honeſti, in geſtis dignitas virtutum omnium. Erat in illius præceptis, atq; exemplis vbi lætiſſima paſcua pietatis,

ac

ac ſpiritus cæleſtis reperirent oues, Paſtori ſcilicet cæleſti potius, quam humano concreditæ. Namq; ad Congregationem moderandam prouectus nihil imminuit de priſtina Religioſi hominis conditione, de communi fratrum opera, de ſtata vitæ auſteritate, de ſtudio perfectionis; ſed præterita voto ſuperiore proterebat, vt cæteros non dignitate ſolum, ſed etiã vitæ ratione antecelleret. Nullum commodum maius admiſit, prærogatiuam omnem reſpuit, in victu, veſtitu, cubiculo, famulitio nihil ſingulare ſibi paſſus attribui. Fercula diſcumbentibus adhuc defert, vaſa coquinaria perpurgat, & vilioris mancipii ſarcinas lætus deportat Præpoſitus. Auerſatur eadem coſtantia quicquid ſenſibus blanditur, ieiunia ieiuniis, vigilias vigiliis, flagellis flagella accumulat. Religioſæ paupertatis ſeruator egregius, & ea ſine quibus ægrè vita humana traducitur, ſibi quam ſociis gaudet prius denegata; diurnis, nocturniſq; precibus vna cum aliis in Eccleſia intereſt, continenter de ſuggeſtu diuinum verbum proſeminat, Pęnitentium confeſſionibus patienter intendit. Nulla hora feriatus, nulli cedens labori, vt alios ad laborem alacriores efficeret. Ex eius ore potiſſimum petebatur, quod eſt in viro Religioſo actuoſę vitę profeſſore maximum, vt nihil fallax, ſubdolum, inane, fucatum, infenſum excidat: Sed verbum ſimplex, caſtum, rectum, ſalubre, pacatum, quale diuino pleni numine homines familiare habent. Erat illi aſpectus grauis, venerabilis, vt Pręſulẽ decet, verumtamen affabilitate mirificè grata tẽperatus, qui ſubditis facilem aperiret aditum. Et hęc quidẽ Præſulis noſtri ornamenta oculis quotidie ſubiecta contẽplabantur ſui: qua vero illos arte, ac prudẽtia dirigeret, inſpiciamus.

Regi-

Google

Regiminis leges, & acta præcipua.

CAP. XI.

Præludia ad bonum regimen.

ARTEM regẽdorum hominũ perdifficilem, & magiſterii culmen non procul eſſe a caſibus intelligens Alexander, quaſdam ſibi ad bonum regimen leges præſcripſit, ne ſe, ſuoſq; tranſuerſum ferri contingeret.

Aſſiduitas precum.

Primum omnium facem ſuperni luminis ab æterna illa ſapientia, vnde eſt omnis poteſtas, poteſtatiſq; rite exercendæ norma, neceſſariam ſibi eſſe exiſtimauit: Quam vt obtineret, ad preces aſſiduas adiecit animum, tantum illis fidens, quantum viribus diffidens propriis. Ergo ſi alias multus, nunc plurimus eſſe cæpit exorando Deo, ac votis fatigando aſſiduis.

Exactior cuſtodia Conſtitutionum ordinis.

Tum ad demerendam facilius cęleſtem opem, adhibuit Conſtitutionum ordinis cuſtodiam multo quam antea exactiorem: ratus in hoc gemino veluti cardine molem adminiſtrationis proſperè verſum iri, propitioque Deo impares tanto oneri vires ſuas, fore pares, & oblatas aſperitates lenitate afflantis Spiritus Sancti facillimè complanandas. Quod quidem ex ſententia eſt conſecutus.

Imitatio Apoſtoli.

Deinde Pauli Tutelaris præcepta tanquam ſibi vni propoſita, obſeruanda ad vnguem putauit, præſertim vbi Præſules Eccleſiæ ad rectum regimen infor-

format. Itaq; poterat cum illo gloriari, ſeſe in vigiliis multis, in laboribus plurimis inſudaſſe, vbicunque diuini cultus, regularis diſciplina, commiſſarum animarum ſalus in diſcrimen vocaretur, aut vbi propagandæ virtutis ſpes aliqua offerretur.

Ante omnia ſ curat quæ ſunt cultu Diuini.

Auſpicatus a domo Dei, vnde eſt prima regula ſanctitatis, in ea potiſſimum incubuit, quæ diuinum cultum ſtatuunt, vel iuuant, vel certè colluſtrant. Qui olim iunior perſonam, ac partes æditui ſuſtinēs exquiſita, atque laudabili munditie collucere ſacræ ædis parietes, altaria, vaſa, pauimenta ipſa, ſummopere curauit, incredibile eſt, quantum ſplendoris, & elegantiæ adiunxerit Sacerdos, & Præſes Sacerdotum. Templum S. Barnabæ abſoluit, auro multo adornauit, acceptis precariò a Patre aulæis pretioſiſſimis conueſtiuit, tabulis, ac imaginibus ad pietatem diſtinxit, ſupellectili holoſerica, argentea, aurea largè locupletauit; pecunias, & omne genus donaria Eccleſiæ collata in eiuſdem nitorem, neq; vnquam aliò, voluit impendi. Ferculum ex ebano operoſiſſimum, ſumptuoſiſſimumq; oſſibus, cinereq; Sanctorum oppletum, quod a B.Carolo, vt hic quoque ab auunculo Pio IV. Summo Pontifice, dono acceperat, eidem ædi S. Barnabæ dono dedit, collocauitq; magnificè ſuper ara maiori, quam idem Archiepiſcopus, ex Pario lapide, ingenti ſumptu erexerat: eratque tantæ venuſtatis, ac feſtiuitatis ſpectaculum loci, vt pius Archiepiſcopus aduenas, & ſupremæ notæ principes ad ſpectandam faciem ridentis templi, ad altarium, ornamentorumq; concinnitatem tanquam ad prodigium deduceret.

Abſoluit, ornat, & ditat Templum S. Barnabæ.

Sumptuoſum ferculū reliquiarum à S. Carolo acceptum collocat in ara maiori.

Miniſtris Eccleſiarū ſuarum fert leges.

Verumtamen quoniam templa Chriſtianis ritibus, pia, ordinataque ſacrificiorum ſerie, & ſanctimonia

ipſa

ipſa Sacerdotum magis quam argento, auroque radiant, mirum eſt quantum hac in re noui Præſulis cura, ac vigilantia profuerit. Sacra facientibus, ſacra dantibus, pſallentium Choris, tribunalibus confeſſariorum, ſedibus concionatorum leges tulit, ea prudentia, vt omnes decente officii adminiſtratione regerentur, & ſacrificiorum celebratione quammaxime religioſa, grata quoque harmonia pſalmorum, concionibus, & ſi quod eſt aliud Chriſtianæ Religionis officium, diuinos ſenſus in adſtantium animos infunderent. Præfectos confeſſionibus ſeueritati benignitatem immiſcere docuit; vt peccantes ad emendationem benigni allicerent; ſeueri vt a lapſibus terrerent. Vnde & illud Mediolani in vulgus abierat, Cui a vitio penitus reſilire non eſt ſatis animo firmum, is ne Barnabitas adeat expiandus.

Cantum, & hymnodiam moderatur.

Pręfationes aliquot ab Eccleſia minimè probatas, ſed ſola ſpecie pietatis inuectas e miſſali libro ſuſtulit. Breuiarium iuſſu Pii V. editum, reiecto anteriore, in vſum induxit. Muſicum, ac variatum crebris inflexionibus cantum, licet apud alias magni nominis Eccleſias vſitatum, adhibito peritorum conſilio vetuit induci, malens retineri quem maiores noſtri vſurparant; benè ſeruata clara, conſona, & moderata pronunciatione, quę pſallentibus ęquè ac audientibus pietatis ſenſum, non tędium afferret; vt olim in Eccleſia Alexandrina ſub B. Athanaſio Epiſcopo vſu receptum fuiſſe ſcribit S. Auguſtinus, & in Latina Iſidorus. Noluit autē Sacerdotes inſolitis precibus, aut officiis grauari, ne retardarentur a ſtudio audiendi confeſſiones. Eodem itidem modo alia prudenter ad hymnodię, & diuini cultus nitorem ordinauit.

S. Aug. lib. 10 conf. c. 33. Iſid. lib. 1. de Diuin. off. cap. 5.

Ad

Ad Eccleſiæ ſuæ decorem conducere iudicauit, iura illi iuſtè acquiſita tueri. Idcirco titulum, ac prouentus S.Barnabæ ab Alexãdro Taegio,& Amico Grypto antea Præpoſitis conceſſos, & a Paulo III. naſcenti Congregationi traditos, aduerſus Attilium Gryptum Clericum Nouariẽſem per iniuriam infeſtum, Congregationi ſtrenuè ſeruauit. Loci prærogatiuam publicis in ſupplicationibus ab Archiepiſcopi Vicario noſtris aſſignatam, aduerſus Canonicos Regulares ingenti animo propugnauit, donec a Sixto V. dirimeretur lis, Patribus ab eiuſmodi conuentu exemptis, in gratiam B.Caroli.

Iam gradum faciamus ad ea,quæ ciuilis ſunt potius gubernationis. Diſciplinam regularem, ordinis Cænobitici propugnaculum,impensè fouit, collabentem prouidus reparauit. Veterem conſuetudinem obeundi per vices infima domorum miniſteria a neglectu vindicauit: in vſum reuexit antiquatum pene morem vna congrediendi alternas per hebdomadas ad pium colloquium, non ambitu eloquendi, ſed ſtudio ſanctitatis, vel ad commiſſorum delictorum publicam accuſationem. Nonnulla verò quæ Sacris Canonibus, & Congregationis priuilegiis parum conſona videbantur, aut expungi, aut explicari curauit.

Diſciplinam Regularem impensè fouet.

Regendi modum prętulit eum, qui animos magis amore, quam timore flecteret. Hic ſiquidem propius ad Spiritum Sanctum, & ad illius ductum accedit. Dicebátq; homines ingenuos, qui propriæ voluntati vim ſponte inferendo, iugo ſe Chriſti ſubieciſſent, manſuetudine potius, leniq; ſuaſu, quam acerbitate imperiorum, ac duris increpationibus continendos in officio, & ad vitam ſanctio-

Amore magis quam timore ſuos regit.

Digitized by Google

rem inſtituendos: inſtitutus ipſe non iubere, ſed rogare; non imperare, ſed innuere; non increpare iurgiis, ſed lenibus monitis corrigere. Redditus proinde ſubditis acceptiſſimus, & ſumma in veneratione habitus, cui dicto citius parebant ſinguli.

Delictis minimè tamen conniuet.

Ex lenitate autem magis quam authoritate ita malebat agere, vt obtegendis tamen delictis non cõniueret: clam delinquentes clam obiurgans, palã peccantes, palã arguens, ſecundũ illud Apoſtoli, *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant*. Paterna etiam caſtigatione plectens, vbi opus eſſet; vlcus curaturus, non vt ægroti animum aſperaret. Qui extraneorum fauore, aut Principum potentia fretus quicquam conſequi præter, vel contra Ordinis inſtituta tentaſſet, is grauem quidem correptionem ſubibat, nihil præterea obtinens. Alexander enim ex iis erat, qui potentium neque precibus, neque inſpectione flecteretur, vbi quæ regulari diſciplinę aduerſarentur relaxanda forent. Porro inter hæc laceſſere ex illis aliquem, aut ad iracundiam acuere dicto procaci, vel iniurioſo ſapientiſſimè cauit, ne ægrotantem exulceraret potius quam ſanaret, nanquam ipſe ab illa animi ſerenitate deturbatus, quæ Rectores cohibet, ne mente perturbentur, neve iuſtitiæ fines prætergreſſi ſubditis iræ, aut deſperationis fomitem ſubminiſtrent.

1. Tom. 5.

Non flectitur Principum litteris commendatitijs.

Conſultorũ ſuorum ſententijs plurimum defert.

Animaduertens nihil in adminiſtratione rerum publicarum deterius eſſe, aut quod ſuperbam mentem, & inſanam cæcitatem apertius arguat, quam nimium ſibi tribuere, & aliena conſilia deſpicatui habere: Contra vero, docilem ſe præbere, & vbi opus eſt, prudentium vti conſilio, ſapientis eſſe

pro-

proprium, & ad res fæliciter peragendas ſummum preſidium; nihil paulo grauiùs aggreſſus eſt, quod non prius Conſultorum ſuorum trutinę ſubiecerit, alienæ ſententiæ plus deferens, quam ſuæ. Idq; non in iis tantum, quæ ex vſu Congregationis firmanda, ant infirmanda ſunt communibus ſociorum ſuffragiis, a quibus diſceſſiſſe, piaculum; ſed in iis etiã quæ liberi, vtpotè ſupremi, arbitratus eſſent. Exẽplis res pateat. Expetitus a B.Carolo vt Epiſtolas Pauli publicè in ædibus Archiepiſcopalibus per dies feſtos explanaret, quamuis pro poteſtate liberum haberet, operam tamen ſpondere non eſt auſus, donec Diſcretorum (quos vocant) ſuorum conſultationi ſupponeretur. Mediolani rogatus ab adminiſtratoribus S. Mariæ Egyptiacæ prouinciam inire inuiſendi Monaſterii ad annum; vt annneret. abſque conſiliariorum ſuorum conſenſu adduci nequiuit. Egit hoc autem pro ſua humilitate, cum nulla teneretur lege, adnotat eius temporis commentator. Genuam vocatus vt de aſſumendo in congregationem inſigni templo Sauliorum deliberaret, viæ ſe committere recuſauit, non prius rogata diſcretorum ſententia: quibus inconſultis ne breue quidem iter ſuſcepiſſet. Complura & alia ex antiquioribus ordinis monumentis in hanc rem adduci poſſent, quibus perſpicuum fieret, hunc virum modeſti regiminis ſtudioſum, ab omni pertinacia alienum, magis ſemper in ſociorum vota propendiſſe quam ſua: indeque fauſtos, fortunatoſq; ſuæ adminiſtrationis exitus promeruiſſe. Ne quid autem præcipiti conſultatione præpoſterum caderet, congrua temporum interualla conſultoribus permittebat, ad implorandam diuini luminis opem, &

maturius indaganda rei propoſitę momenta, conſectaneaſq; rationes. Maioris tamen ponderis negocia, veluti quę perennitatem ſpectant, vel ad generalia comitia referebat, vel in priuato conſilio prius diſcuſſa, in iiſdem comitiis recoquenda ſeponebat.

Oculatus in nouitiorum delectu.

In Nouitiorum delectu valde oculatum ſe prębuit, & licet quammultos ſuaui agendi ratione, paternaq; benignitate attraheret, eos tamen familię dũtaxat aggregauit, quos pluribus antea experimentis ſeuerè probaſſet, arbitratus maiori frugi futuros paucos viros benè moratos, & ad pietatem pronos, quam ſexcentos homunculos nullius vſus, atq; adeo perturbatę vitę; nunquam ab eo propoſito abductus, vel ſanguinis propenſione, vel amicorum precibus, magnatumue authoritate, ſpreta quoq; ſpe omni rei amplificandę. E pluribus hoc vnum ſubiicio. Poſtulabat neſcio quis Ordini adſcribi, cenſum Collegio S. Barnabę collaturus non tenuem: At vbi Alexandro nunciatum eſt, illius propinquos genere nobiliſſimos inopia laborare, e veſtigio cedi bonis omnibus imperauit. Pręſules, & Curę animarum prępoſitos a ſęculi ſtrepitu ad Cænobii tranquillitatem aſpirantes, propoſita maiori gloria Dei, & gregis ſalute prudenter ad ſuas remiſit Eccleſias. Non diſpari charitate interdum repudiauit oblata commoda fundandi Collegii, deſtinato iam aliis ordinibus loco, ne alienis votis fallendis conſentire videretur.

Illorum educationi dilugenter inuigilat.

Tyronũ educationi rectiſſimos viros, ac doctrinæ ſpiritus ſciẽtiſſimos præfecit, quibus ætas, prudentia, ac Sanctimonia fidem, authoritatemq; apud nouos athletas conciliarent; quiq; paruulis lac pietatis ſenſim inſtillare noſsent, & grandiores in arduos ago-

agones deducere; illos aduerſus mundi illecebras, aduerſus carnis oblectamenta, mentis elationes; cæteraque vitiorum agmina, & ipſas aduerſus dæmonum nequitias, armis militię Chriſtianę ritè munientes. Plenam tamen filiorum inſtitutionem actoribus, & tutoribus non tranſmiſit parens; inſtitutionem aureo libello tradito maxima ex parte complexus eſt ipſe. Ipſe elementa vitę ſpiritualis docere, progreſſus rationem exigere, inertes excitare, effrænes cohibere. Cumque natura lepidus eſſet, ac iucundus, quò magis illos in ſui amorem, & ad virtutum exercitamenta pertraheret, ætati, ac ingenio iuuenili ſe ſe accõmodans, recreandi animi cauſa illorum honeſtis, religioſiſq; luſibus interdum adeſſe minimè recuſabat. Poteratq; iure optimo cum Apoſtolo illis iactare: *Factus ſum paruulus in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* Theſ 2.

Ad nuncupanda Religionis vota non admiſit quẽquam niſi virtutis probatiſſimæ, & omnino emeritæ militiæ, idoneum quoq; officiis Congregationis ritè obeundis. Recentes a profeſſione veluti rerum agẽdarum ignaros a ferendis ſuffragiis per aliquot annos diſtulit, donec longiori experientia eruditi de negociorum rationibns diiudicare tutius valerent. **Recentes à profeſſione differat dandis ſuffragijs.**

Studiorum litteralium, quibus non pauca tum proprię, tum alienæ virtuti adminicula conquiruntur, nihilo remiſſior quam morum formandorum fuit curator: & qui olim ſtudendi ordinem, ac methodum, horarumque partitionem Gymnaſio colendo pręſcripſerat, nunc vt omnino ſeruentur imperat: optimoſque ſibi ſubſtituens præceptores, ſtudioſis alumnis opportuna largè ſuppeditat, ſcholas frequens perluſtrat, diſputationibus, declamationibus **Cura Studiorum liberalium.**

intereſt

intereſt, ad laborem omnimodis acuit, deſides increpat, vrgetque omnes, vt litterario ludo educti ad aliorum poſtea inſtitutionem prodeant luculenter inſtructi.

Quæ vniuerſim præcepta ſanctitatis tradit adultis.

Adultos, ac ętate prouectos piis muniis perpetuò detineri, & ad faſtigium Religioſę perfectionis contendere oportere docebat: nec ſermonibus ſolum crebris, verum etiam exemplis ſuis; horam illam, quam cæteri remittendis animis a ſumpto cibo addicunt, agitandis ipſe negociis adminiſtrationis ſuæ inſumens. Iubebat autem, omnes quietos eſſe, vnanimes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, idipſum ſapere, orationi, atque ſilentio inſtare, carnis curam non agere, a ſæculi faſtu recedere, & ab omni labe auaritiæ, ac opulentiæ cupiditate immunes degere.

Ægrotis, ac ſenibus magna charitate ſubuenit.

Exquiſitiſſima pariter ſedulitate vacabat ægrotorum curæ, ac ſolatio, illos quotidie inuiſens, ad placidam dolorum perpeſſionem, & ad omnem patientiæ fructum humaniter hortatus, inuigilanſque prompto miniſtrorum obſequio, plerumque miniſter ipſe, nunquam paſſus ad ægrotantis ſubſidium medicorum, & medicamentorum opem, aut quicquam aliud deſiderari. Eadem Charitatis opera ſenes, ac valetudinarios complexus, quibus prouidus Pater ſubminiſtrari voluit, pro domeſtica facultate, quæcunq; opus haberent.

Summa regiminis.

Denique vt omnem eius regiminis ſeriem paucis abſoluam, Summum Viro Dei conſilium, & ſcopus vltimus fuit, omnia per anguſtum callem diſciplinæ regularis ad Dei cultum, profectum Congregationis, & abſolutam cuiuſq; ſanctitatem collineare. Præibatque ipſe ſpectabilis Anteſignanus, in arcta

legum

legum cuſtodia peruigil Argus, in hymnodia Choragus, in functionibus Eccleſiaſticis Coryphæus, Vigiliarum, & laborum Princeps, Dux ad dura, & ardua, Adoleſcentium Pædagogus, ſenum, & ægrotorum ſolamen, errantium reductio, robur puſillorum, terror contumacium, omnium vigilantiſſimus Paſtor, & Parens amantiſſimus; qui propter ſummam in filios beneuolentiam, eorumque ſalutem, pectore conſtanti, & infracto ferret hilaris moleſtias omnes, quę inter regiminis curas oboriuntur, non rarę neque leues.

Qualis in Exteros:

CAP. XII.

PRAETEREA, quæſubditis ſoluebat curæ paternæ tributa, non paruam laborum ſuorum frugẽ tribulibus impertiri ſatagebat, natus benè omnibus velle, omnibus benefacere, vt omnes ad ea, quæ recta sũt, & quibus ęternam beatitudinem meremur, incitaret. Peculiari tamen hoc beneficio nobiliſſimas quaſdam familias, agnatorum præſertim, excoluit, monitus dicto Apoſtolico, *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei*. Ita contemptum mundi, horrorem peccati, reuerentiã, ac Religionem in Deum eorum mentibus opportuno tempore, quod ſtudiosè nanciſcebatur, gratiſq; colloquiis inſinuabat.

Perutilis cũctis tribulibus.

Gal. 6.

Titulo

Parent i præcipuè, & eius domeſticis.

Titulo naturæ, diuinique mandati, præcipuum fuit ſtudium erga Dominicum Patrem, cui ſicut vnicæ delicię Alexander filius, ita viciſſim Alexandro Dominicus. Illi in negocioſa Magiſtratuum prouincia Mediolani occupatiſſimo, quamcunque potuit opem ſubminiſtrauit, in rebus dubiis conſiliator, in agendis adiutor, in aduerſis ſolamen, in doctrina pietatis magiſter; Vt credas natura filium euaſiſſe officio parentem. In Vrbem Ticinum mox profugienti, non tam ad declinandam inimicorum inuidiam, quam vt filii chariſſimi iucunda conſuetudine, monitiſque ſaluberrimis frueretur, nec precibus ad Deum fuſis, nec opera defuit vlla. Eius de familia, quam etiam ſaluberrimis ipſe monitis benè formauerat, ad rationem vitę perfectioris in Congregationem traxit Franciſcum Staulum ſingularis innocentię iuuenem, & Dominicum Boerium diuini conſilii hominem, qui ſtrenuè munere Procuratoris Generalis ſuſcepto totum Ordinem ſuſtinuit.

Item familijs Vicecomitum, Cuſanorũ, Sfõdrator, e qui bus extitere Alphonſus Vicecomes, Auguſtinus Cuſanus Cardinales, & Nicolaus Sfondratus Pontifex Maximus.

Veniunt proximè non minus Religioſę, quam pervetuſtæ familię Vicecomitum, Cuſanorum, Sfõdratorum, quos & eorum liberos in Chriſtiana pietate, omnique bene viuendi lege inſtituit. Vnde a Vicecomitibus prodiit magni meriti Alphonſus, albo Patrum Purpuratorum S. R. E. inſcriptus Cardinalis, e Cuſanis Auguſtinus non minoris meriti, & eiuſdem pariter S. R. E. Cardinalis, e Sfondratis Nicolaus, Eccleſiæ Cremonenſis Epiſcopus, ac poſtmodum vniuerſalis Eccleſiæ Pontifex, aſſumpto Gregorii X I V. nomine. Inter quos conſcribendus accedit Sanctiſſimus Carolus Borromęus, qui Alexandrum ab audiendis Confeſſionibus

ſibi

ſibi adhibebat. Inſtituti noſtri breuitatem excederet longa ducēda ſeries virorum præclari nominis quos religione, & virtutibus promiſcuè imbuit Alexander, de Collegio Doctorum, de Magiſtratuum, de Senatorii ordinis. Si cenſere etiam vellemus, quam multæ, & eę ſpectantiſſimæ virtutis matronæ ſub huius viri Magiſterio floruerint pietatis, ac ſanctimoniæ fama: Cũ nemo pene fuerit, qui in eius diſciplinam non confugeret, ſiue priuatim domi, aut in Gynæceis Virginum Chriſto deſponſatę viuerent fęminę, ſiue Religioſorum agminibus adiuncti viri: eo quod nullus eſſet perfectioris vitæ gradus, quem non optimè calleret Alexander, nullus nodus, quem non ſolueret, aut obex, quem ſingulari ſua prudentia non auferret.

Experimenta ſuæ virtutis, atque operæ efficacis non minora intulit Cœnobiis ſanctimonialium, à B. Carolo ſæpe ac ſæpius huic prouinciæ adhibitus. Ticini rogatus vt puellarum pupillarum, mulierum quoque à turpi quæſtu ad Religioſæ Caſtitatis cultum traductarum regimen ſuſciperet, ſplendido cum ſtipendio; Ceſſit iiſdem fœminis ſtipendium miſereſcens paupercularum conditionis, ſimul ne quæſtus gratia quidquam agere videretur etſi Collegium ſuum egeſtate non mediocri premèretur. Sed & prouidit gratis Rectorem ex Patribus Ordinis quam probatiſſimum: ſcilicet loco omnis quæſtus habens meritum pietatis. Mediolani ad S. Marię Egyptiacę Viſitatoris munus exercens, ex eo Cœnobio priſcas amandauit corruptelas, inſtituens de integro, aut reſtituens quicquid religioſi nominis fœminas decet.

Cœnobiis Sanctimonialium nauat operam.

Extat Mediolani inſignis Virginum cætus Ange-

Angelicarũ S. Pauli regimini præeſt

licarum prænomine à Paulo III. decoratus, religione, ac familiarum claritate inter primarios eius vrbis; vbi geminæ Gregorii XIV. ſorores, ac geminę Gregorii XIII. neptes miræ perfectionis coronam ſunt adeptæ. Sanctimonialium ille Chorus eoſdem parentes, eadem incunabula, idēque Pauli patrocinium nobiſcum ſortitus, a noſtris tanquam germanis fratribus, ſub Præpoſiti Generalis arbitrio, Sacramenta, diſciplinamque ſe percipere lætatur. Quod munus ſolertiſſimè exequens Alexander effecit, vt quod a primordiis eo in Cœnobio vigebat robur virtutum, conſtantiſſimè etiam noſtro ęuo perſeueret; vtque illud ſanctitatis nomen, quod iam tum apud Carolum Hierarcham ſuum ſibi fecerat ille Angelicarum conuentus, florente ea ipſa viuendi norma etiamnum apud poſteros integrum perſiſtat.

Epiſcopatum Alerienſem recuſat.

CAP. XIII.

GRANDI paſſu per omnes virtutum gradus ad perfectionis Chriſtianæ pergebat apicē Venerabilis Dei Seruus Alexander, eiuſq; nomen vltra Mediolanenſium fines Italia tota vagabatur honorifice; Nec potuit fama non attingere Romanæ arcis mænia, & ipſa Curiæ penetralia, quo tempore

Digitized by Google

tempore clauum Sanctæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ tenebat Pius V. cui prius Michaelis Ghislerii nomen, inter priſca monumenta Congregationis noſtræ glorioſè inſertum. Is etenim ab exordio ſurgentis familiæ Clericorum S. Pauli exercitamenta religionis prælibans, ſeſe illi præſtiterat amiciſſimum, aſſidebatq; Mediolani frequens auditor, & adſtipulator congreſſibus Patrum, vbi de vitiis fugandis, deque capeſſendis virtutibus, cuilibet quaſi per ſymbolum diſſerere mos erat, non ad faſtum, aut diſceptationem, ſed ex ſinceritate mentis, & ad operis actum. Quare imperii Chriſtiani faſces conſecutus, haud immemor ſaluberrimi vſus collationum, eandem Congregationem amanter complecti, & ſtudioſè fouere non deſiit.

Fr. Michael Ghiſlerius, qui & Pius V. Sacris Collationibus noſtrorum intereſt

Pontifici vt ea perpetuò fuit mens, religionem Chriſtianam inter Catholicos ſanam, atque incorruptam ſeruare, ita & eandem longè, ac latè inter barbaras nationes propagare. Illud quidem in bono delectu Epiſcoporum ſtatuerat, hoc autem in ope virorum doctrina, religionis ſtudio, animi fortitudine inſignium, qui vexilla nominis Chriſtiani in ipſas efferatas regiones inferre haud metuerent. Itaque meditatus tam egregiam, & validam cohortem e caſtris Religioſorum componere, atque expedire, nonnullos etiam de paruo manipulo Clericorum Regularium S. Pauli in hanc rem excerpi mandat Alexandro Præpoſito, quem iamdudum in paterna domo adoleſcentulum, & in ædibus S. Barnabę Sacerdotem de facie nouerat.

Excerpi aliquos de Cõgregatione mandat Alexandro Præpoſito miſſionis euangelicæ gratia.

Expeditionem paranti Pontifici, nullo mortalium ſuggerente, ſed Deo duntaxat afflante conſilium hęſit, Alexandrum ipſum Alerienſi Eccleſiæ dudũ

Alexandrũ ipſum Eccleſiæ Alerienſi præficere vltro deſignat.

H 2 paſtore

paſtore viduatæ præficere. Appoſitè quidem; quemadmodum enim non ex omni lapide muta Deorum ſimulachra, ita non ex omni ſtipite Epiſcopi Dei viuentis viuæ imagines. Neq; erat eiuſmodi prouincia cuiuſuis fidei, & curæ committenda, ea præſertim tempeſtate, & procella malorum. Neq; ad excolendam illam Corſicæ partem ſentibus vitiorum ſylueſcentem quælibet manus erat, aut ſatis edocta, aut ſatis idonea. Exquirebatur, qui poſſet vitę innocentia id omne, quod iniquum eſt, proſcribere, pietatem exemplo inſpirare, Eccleſiaſtici ordinis diſciplinam a maioribus traditam ſtrenuè ſuſtinere; qui ſarculo verbi Dei ſpinas errorum extirparet, fidem, doctrinamvę Chriſtianam eruditione ſua proſeminaret, ſapientia reluctantes argueret, rebelles comprimeret authoritate, Eccleſiæ iura defenderet, vel ſi ferrum ceruicibus immineret; qui denique omnia ſuauiter, ac fortiter pro temporum, ac perſonarum diſcrimine potis eſſet prudenter exequi. Fuit in Summo Pontifice eximiæ laudis conſumatio, quod probum, eruditum, ſapientem, cœteriſque ornamentis fulgentem Alexandrum Epiſcopum Aleriæ diuino flamine inductus dederit: In quem illa quoque humanis moribus non incongrua prærogatiua concurreret, quod nobili Patritio Genuenſi Genuenſis Eccleſia crederetur.

Status Vrbis Aleriæ.

Eſt enim Aleria Vrbs Corſicæ ad latus interius Mediterranei, olim a Sylla dictatore deducta Colonia, hodie Reip. Genuenſi parens, ſitu amæna, ampla ambitu, titulo Epiſcopali, locorum numero, & Diœceſis amplitudine reliquos Inſulæ Epiſcopatus antecellens. Noſtro tamen æuo tantis bellorum calamitatibus deformata, vix vt appareant veſtigia

ruina-

ruinarum,nihilque ſit reſidui,præter excubiarum arcem, & rudera ædis Cathedralis antehac Diuo Marcello ſacræ.

Epiſcopatũ renuit Alexander.

Hoc Põtificis cõſiliũ denunciat Carolo Archiepiſc. Mediolanẽſi Card. Alexandrinus, mandatq; inſtitui ab eo quęſtionem vitæ, ac morum Alexandri. Obſtupuit Alexander, contremuitq; ad inopinatum nuncium, totaque ſecum ſocietas Patrum deplorantium rem inſolitam, & vt ii putabant, Congregationi pernicioſam. Dolebat ille de latebris, deque tutiſſimo portu Cænobii abduci, diuelli e genetricis gratiſſimo ſinu, & ex ipſis abreptum vberibus in moleſtiſſimas huius pelagi vndas reiectari: torquebaturque non leuiter, exemplo ſuo viam pandi inhiantibus Epiſcopales honores; de male etiam cuſtodito grege rationes aliquando redditurus. Quocirca coram Antiſtite abiectus in genua, ſe tanto muneri minus idoneum cauſatur, rogatq; vt ſi fieri liceat, ab eo dimiſſus fiat, ductus maximè eorum exemplo, qui omnibus licet numeris optimi Pręſulis abſoluti, infulis tamen obduci capita renuerunt.

Dolent Patres tanto viro deſtitui.

Cæteros Patrum, ſalua obedientia Pontificis, alienos ab ea promotione reperit Archiepiſcopus, dolentes tali, ac tanto viro deſtitui, & ſociis aditum ambitionis aperiri. Nihil enim antiquius fuit primis Congregationis authoribus, quam vt in humili, quod erant profeſſi, vitæ genere ſeſe continerent, Deoque vti primo vocati ſunt, deſeruirent, ab honorum, ac dignitatum ambitu procul abdicati. Verum Summis Pontificibus diuerſa ſentientibus, & ex Dei gloria, atque Eccleſiæ vtilitate aliter decernentibus, atque adeo iuſſa interponentibus, non acquieſcere nefas eſt. Et quemadmodum.

Digitized by Google

dum affectare periculoſum, ita diuinæ voluntatis Interpreti Chriſti Vicario obſiſtere, ſpecie licet humilitatis, nullatenus tutum. Igitur ſuppliciter rogant Patres Archiepiſcopum, proponat Summo Pontifici, quæ negocium diſſuadere viderentur rationes. Quod officii genus eo propenſius ille eſt exequutus, quod ſibi, Eccleſiæque ſuæ ſubduci fidiſſimum adiutorem non poſſet non vehementer dolere. Miſſiſque litteris ad Nicolaum Ormanetum virum diligentiſſimum, ſuum in curia Romana procuratorem, vt hęc omnia ad Pontificem referat, mandat. Litteras latinè redditas in rei teſtimonium libet hoc loco ſubiicere.

Confugiunt ad S. Carolum, qui diligenter omnia ad Ormanetum ſcribit.

Exemplum Epiſtolæ B. Caroli Borromæi De Alexandro Saulio ad Ormanetum. Romam.

„ QVOD Sanctiſſimus D. N. de Aleirienſi
„ Eccleſia in Corſica Præpoſito S. Barna-
„ bæ demandanda ſtatuit, id ego ei ſigni-
„ ficaui: ſed is pro ſua modeſtia de ſe
„ humiliter ſentiens, huic ſe muneri minimè aptum
„ eſſe reſpondit: Quod ego, qui egregias viri dotes
„ perſpectas habeo, non ei ratum habui. Itaque
„ de illius vita, & conditionibus ex more quæſtio-
„ nem inſtitui, & alia, quę Illuſtriſſimus Cardinalis
„ Alexandrinus Summi Pontificis iuſſu mihi hac
„ de re præſcribit, exequi non deſinam, conſcrip-
„ tamque queſtionem, atque eam quam de illius
„ Eccleſię ſtatu habere potero notitiam, quam pri-

mum

„ mum ad te tranſmittendam curabo. Interea ve-
„ ro facere non poſſum, quin Sanctiſſimo D. N.
„ ſignificandum, & perpendendum proponam, quã
„ ægre ferant ſe tanto viro orbari ſeniores huius
„ Congregationis Patres, quibuſcum idipſum com-
„ municaui. Hinc enim, aiunt, graue detrimentũ
„ imminere ordini, qui a prudenti eius adminiſtra-
„ tione totus nunc pendet, atque ipſius doctrina
„ plurimum iuuatur, in qua certè parem illi in ipſo
„ ordine non habent, neque alium moderando tam
„ idoneum. Siquidem horum alii ſenectute fracti
„ ad ſuſtinendum regiminis pondus impares ſunt,
„ alios vero acerba adhuc ætas præfecturæ incapa-
„ ces reddit. Verentur præterea, ne ſi ex ipſis ad
„ Epiſcopalem dignitatem aſſumantur, temeretur
„ illa ſpiritus humilitas, & voluntaria ſubmiſſio, in
„ qua fundamenta prima poſuit Congregatio, &
„ hactenus aucta ſe ſe continuit. Itaque a me eni-
„ xè contenderunt, vti curam hanc animos omniũ
„ pariter ſolicitantem ad Sanctiſſimum D. N. per-
„ ferrem. Ego vero fore proſpicio, quam grauem
„ etiam iacturam faciet vniuerſa hæc Ciuitas Me-
„ diolanenſis, cui Alexander ipſe multis nomini-
„ bus, variiſque modis eſt vtiliſſimus, in ſacris do-
„ ctrinis, in concionibus, in confeſſionibus, & aliis
„ priuatis pietatis officiis, atque etiam prudenti cõ-
„ ſilio, quo ego fere ad omnia vti conſueui. Quod
„ ſi hiſce rebus auditis Sanctiſſimus D.N. eius ope-
„ ram in hac noua Prȩſulis deſignatione ad gloriã
„ Dei vtiliorem fore iudicauerit, is Apoſtolicȩ obe-
„ dientiȩ filium ſeſe profitetur ac quamquam ſin-
„ gulari beneficio a Summo Pontifice ſe affectum
„ exiſtimabit ſi ſuo in Cȩtu, in quo per annos vn-
deuiginti

„ deviginti placidè vixit, perdurare liceat, tamen „ vt pareat,ad eam tollendam crucem, quam San- „ ctiſſimus Pontifex iniunxerit, præſto eſt. Neque „ enim velim, vt per me illa prohibeantur bona, „ quę Corſicæ obventura inde ſint: quam quidem „ Inſulam ex Alerienſi interpontificio ſummoperè „ indigere arbitror tanto Antiſtite. Vale Mediola- „ ni 3. Id. Ian. 1570.

Scribitur propterea ad Cardinales beneuolos & Congregationis patronos.

Hæc dum agitantur hincinde, ſacris precibus continenter eſt vacatum, vt quid in tanto negocio ad gloriam ſuam opportunius ſit, edoceat Spiritus Dei. Scriptum etiam ad beneuolos, & Patronos Congregationis, præ cœteris ad Cardinales Alciatum, & Serbellonium Mediolanenſes, vt quacunque poſſent via, & pacto Pontificem a propoſito auocarent. Operam in tanto conamine deſiderari ſuam non eſt paſſus Alexander ipſe. Pontificem datis manu ſua litteris pro dimiſſione ſuppliciter interpellat, oblatas infulas ad illius Sanctiſſimos pedes qua decet reuerentia, reponit: non defore fortiores Atlantes demonſtrat qui cęleſtem eam molem ſuſtineant intrepidi; nam ſibi quantumvis parato Sanctæ Sedis Apoſtolicę gratia collum dare ferro, non ſatis ſubeſſe virium, & animi ad tantum pondus, Angelicis humeris formidandum. Obſecrat itaque viuere ſibi liceat,& emori in eo nidulo; in quo ipſum manus diuina pro ſingulari benignitate primum collocauerat, extra quem propter imbecillitatem ſuam, vix vllam animę ſperaret ſalutem.

Sed fruſtra.

Abeunt cum hoc tamen irrita ſtudia, conatuſque omnes. Quiſquis propoſitum Pontificis vellere nititur, figit altiùs. Litterę enim antequam redderentur

rentur, acta, & per Vrbem vniuerſam euulgata res erat, nec retractare integrum. Pontifex ſiquidem quæſtione ab Archiepiſcopo Mediolanenſi minimè expectata, in ſacro Cardinalium Senatu de inſperato Alexandrum ab ſe honorifico elogio propoſitum, Alerienſis Eccleſię Epiſcopum pronunciauit: fuitq; eodem momento a cęteris electio comprobata. Sed lucem, fidemque dictis augeat Cardinalis Serbellonii Epiſtola, & ſi longiuſcula.

Reſponſum Cardinalis Serbellonij.

„ REVERENDI Patres. Paucis ab hinc diebus viſum eſt Sanctiſſimo D. N. Patrem Alexandrum Saulium Congregationis veſtræ Præpoſitum, Eccleſiæ Alerienſis Epiſcopum deſignare. Cumque propter clariſſimam viri doctrinam, & probitatem minimè opus eſſe videretur ſolemni, & aſſueta inquiſitionum ratione, ipſemet benigniſſimus Pontifex, quod eo vſque cælauerat, de repente ampliſſimo Cardinalium Collegio expoſuit conſilium; communi conſenſu, & alacritate comprobatum, pari quoque celeritate eodem conuentu abſolutum. Quare iſthinc ad nos datæ litteræ, quibus veſtrum omnium dolorem, iacturam ordinis, & ex ea nouitate offendiculum poſteris perferitis, ſerius ad nos delatæ retractationi locum non inuenere. Ego vero licet hanc promotionem ſanctiſſimam eſſe perſpicerem, conſentaneam venerandi quoque Patris merito, necnon neceſſitati

„ ouilis cui præficitur paſtor opportunam, & idcir-
„ co conſcientia rectè facti prohiberer quicquam
„ cogitare, nedum agere, quod electioni Sanctiſſi-
„ mæ repugnaret: Nihilominus pro ea officiorum
„ parte,qua moribus veſtris obſequi, quoad poſſim,
„ exopto; ac præterea, vt Pontifici veſtram animi
„ moderationem facerẽ mage perſpectam, qua cœ-
„ leſtibus, atque æternis bonis toto mentis conatu
„ intenti terrenos honores, fluxaſque dignitates,
„ quæ apud mortales tanti ſunt, & ſummis in vo-
„ tis, repudiantes proteritis, cum ipſo ea de re ad
„ mentem veſtram egi. Ab eo autem illud ipſum,
„ quod mihi pollicebar, reſponſum tuli. De Ale-
„ xandro deque egregiis illius virtutibus ſatis ſibi
„ cumulatè conſtare, ſeque adhibita ea animaduer-
„ ſione, quę in rebus eiuſmodi ſolet adhiberi, ſta-
„ tuiſſe, ipſius curæ gregem illum committere, cui
„ tam vigili, diligentique Paſtore potiſſimum opus
„ eſſet. Atque in hac electione ſe magis in dies,
„ ac magis conquieſcere. Idipſum Alexandro, &
„ vobis ſentiendum eſſe, ac poſthabitis priuatis
„ quibuſque rationibus nihil aliud cogitandum,
„ quam vt Pontificis arbitria venerantes rata ha-
„ beatis: quandoquidem non deſint omninò inter
„ vos, qui Congregationis regimen ſuſcipiant, &
„ qui verbum Dei Mediolani diſſeminare, & vi-
„ neam Domini colere pergant, in qua cum Ale-
„ xander ſatis deſudauerit, ęquum eſt, vt illa iam
„ exculta, & ad multam frugem perducta, ad ex-
„ colendam alteram eius opera multo magis indi-
„ gentem dirigatur (Hoc preterea ſubdidit) quod
„ ſi Patribus videtur hoc exemplo offendi morta-
„ lium animos admirantium inter humiles huiuſce
Ordinis

„ Ordinis Clericos ad eas dignitates aditum ape-
„ riri, perſuadentque ſibi fortaſſe aliqui, inter ho-
„ nores, ac thiaras Epiſcopales Chriſtianam humi-
„ litatem prædicari, commendarivè non poſſe:
„ Exaduerſo videri ſibi fore id honeſto, iuſtoque
„ exemplo, quod ad honores, ac dignitates non
„ immeriti aſſumantur, ſed ii qui vitæ integritate,
„ & morum probitate, ſe dignos præferrent: & ex-
„ citatum iri alios ad præclaras actiones, quando
„ virtutes his præmiis honeſtari conſpicientur; quæ
„ licet gradu, ac dignitate ſint ſublimia, nil tamen
„ obſtat, quin in iis humilitas ſancta eluceat.
„ Quare cum nutu diuino Admodum Reu. P. Ale-
„ xander per Chriſti Vicarium in hoc tam ſanctum
„ miniſterium ſit euocatus, in animum inducat, mi-
„ nimè licere, vt ab eo diſſentiat. Hilaris ac lu-
„ bens ceruicem ſubmittat iugo, quod etſi graue
„ eſſe videatur, leue tamen, & ſuaue eſt iis, qui il-
„ lud qua par eſt Charitate, ac ſtrenuitate, vt bo-
„ nos paſtores decet, ſuſtinere non renuunt. Vobis
„ autem non mediocri ſolatio ſit, quod moruni ve-
„ ſtrorum ſanctitas, piique labores toto iam orbe
„ pervulgati obviæ mercedis fructus percipiunt ab
„ æquiſſima illius manu, in qua veſtras omnes ra-
„ tiones, & vota decet depoſita quieſcere. Vos
„ ergo priuatis publica præferentes commoda ve-
„ nerando Patri iubete, bono eſſe animo, vt men-
„ te erecta delatam ſibi prouinciam amplectatur,
„ (quod eum iam feciſſe arbitror) & Sanctiſsimi
„ D. N. voluntati componat ſuam. Ab ea enim
„ vel minimum defeciſſe, nefas eſt, preſertim vbi
„ de diuinæ Maieſtatis gloria, ſeu de Religione
„ res eſt. Idipſum vobis perſuaſum volo, quibus

„ & me commendatum,& inuicem quicquid in me
„ eſt, veſtris commodis dicatum ſciatis. Valete.
„ Datum Romæ 6. Kal. Martii 1570.

Cedunt reſponſis Patres, Alexāder non penitus.

Hæc ipſa ad Patres Cardinalis Serbellonius: quæ quidem illi cœleſti afflatui omninò tribuentes Sanctiſſimo Chriſti Vicario parendum ſtatuere. At non totus adhuc in eum ſenſum ibat Alex. melius ſperans, & gratius reſponſum ab Alciato.

Epiſcopatum Alerienſem inuitus ſubit.

CAP. VLTIMVM

Comitatur S. Carolum ad Villam Carinianam

FORTE eo ipſo tempore B. Carolus ad Cœnobium Carthuſienſe in Villa Cariniana diuerterat, vbi ſe parũper ea ſolicitudine leuaret, quam ob intentatam ſibi glãde ferrea mortem, conceperat animo, atque vt e curis publicis aliquantisper abductus, ſolus cum ſolo Deo ageret: Non tamen ab indiuiduo comite Alexandro ſeiunctus; cuius conſilio colligeret, quid inter tot aduerſa rectius, & ſecundum Deum facto opus eſſet. Eo loco reſponſis Ormaneti certior factus de conſtanti, & immota Pii Pontificis voluntate, Alexandrum nonnihil adhuc de expectato Alciati reſponſo blandientem ſibi, ab eo ſenſu dehortatur, ſuadetque iam tertium monitus vt obtemperet, niſi malit pertinaciæ notam

ſubire

Digitized by Google

ſubire: Vrgens præterea, vt iniuſſus præceptum Pontificium, quod proximè immineret præuertat. Obmutuit ad hæc Alexander, & in genua procumbens, ſolum deoſculatus in ſubmiſſionis argumentum, manus dedit. Hæc fatus. Faxit Deus, vt mihi ex eius arbitrio fiant omnia. En ad omnia expeditum, vel ad internecionem, pro diuinæ Maieſtatis curanda gloria, & obſequendo dictis maiorum. Vile, & inane inſtrumentum ſim; ſi eo quippiam illuſtre author bonorum omnium effecerit, actoris fuerit laus omnis. Hactenus ille, & quieuit. Reuera de Alexandro vſurpare licet, quod olim glorioſus Martyr Cyprianus de Sancto Cornelio Romano Pontifice ſcripſerat, epiſt. 72. ad Antonian. videlicet. „ Non vt quidam, ipſe vim fecit; vt Epiſcopus „ fieret; ſed ipſe vim paſſus eſt, vt coactus Epiſco„ patum exciperet.

Præceptum Pontificis Alexandro denunciatur

Obtempe-rat expedite

Cypr. ep 72. ad Antonian.

Intereà loci non dubitauit quiſpiam ſuggerere Pōtifici, vti annuam penſionem de fructibus Alerienſis Epiſcopatus exciperet. At ille liberalitatem, prudentemque Oeconomiam Alexandri perſpectiſſimā habens repulit conſilium, auſum damnauit; Scimus, inquiens, Epiſcopatum viro probo, ac merito collatū eſſe, qui illum ad normam iuſtitiæ, atque ad ouilis ſui commoda adminiſtrabit. Quam Pontificis opinionem haud inanem extitiſſe euentu conſtitit.

Pontifex cō ſilium de imponenda pē ſione reijcit.

Alexander igitur Patrem, ac Matrem relicturus, vt deſponſandæ Eccleſiæ adhæreat, coram pleno cōuentu Patrum faſces Præfecturæ deponens ſeſe Congregationis regimine abdicat: remotiſque rebus, & arbitris quibuſcunque ſeorſum receptus per dies aliquot tota mente ad auguſtum Epiſcopi nomen, ad ſponſalia, ad initiationem, & ſacras cœremonias

Abdicat ſe Alexander regimine Cōgregationis.

Parat ſe ad initiationē Epiſcopalē.

monias ſe comparat. Quanta ſuimet abiectione, qua vi Orationum, quibus cæli colluſtrationibus, atque deliciis, quave fruge, illi ſoli patuit, qui omnia in omnibus operatur, & diſcernit. In eo etenim toti abiere dies, totę abiere noctes, quo copioſiores inundationes diuinorum beneficiorum pro ſanctiore cuſtodia gregis, in longa tempora hauriret.

Sacratur Epiſcopus in Cathedr. Mediol. à S. Carolo ann.1578.

Anno itaq; humanæ reparationis 1570. iv. Id. Martii, die Sacra Diuo Gregorio Pontificum Sanctiſſimo, & illorum, qui de Cœnobio ad Epiſcopalia traducuntur, exemplari præclariſſimo, ſolemni ritu, & præuio Archiepiſcopi ſermone ad Populum, in Baſilica Mediolanenſi inungitur, & inauguratur Epiſcopus Aleriæ Ven. Seruus Dei Alexander Saulius, Miniſterio S. Caroli per ſummum Pontificem ad hoc lecti, aſſidentibus Hyppolito Rubeo Papienſi Epiſcopo, poſtea S. R. E. Cardinali, qui ob excelſa merita ſacrandi Pręſulis non inuitatus ultrò acceſſerat, & Hieronymo Ragazzonio Epiſcopo Bergomenſi.

Mutua amborum Præſulum officia

4. Reg. 2.

Parum fuit gratiſſimo Archiepiſcopo capiti, humeriſque Alexandri manu ſua impoſuiſſe Pontificalia indumenta; de ſuo ære donauit: & quaſi Elias alter Eliſeum pallio operuit ſuo: Vt de noſtris affirmare liceat, quod de iis filii Prophetarum, Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum. Percelebris tunc profecto fuit, in tam magnifico theatro pompa propinquorum, ac nobilium, immenſique populi accurſus admirantis coruſcantem cum ephodo, & mitra, quem nuper adoleſcentem conſpexerant grādi cruce per compita onuſtum. Nemo fuit qui ad illam mutuæ Charitatis pignora, alternaque filii ad Patrem, & Patris ad filium obſequia non ambos Antiſtites

Antiſtites beatos deprædicaret; quod qui antea vno Sacramenti genere fructum diuinæ gratiæ alteri impenderat, eidem nunc altero rependatur.

Porrò omnibus ritè peractis Alexander Epiſcopus deſiderio Pii V. morem gerens quam citiſſimè ſuam profectionem adornat in Corſicam, vt ſi fieri poſsit ſub proximum Paſcha Alerienſi Diœceſi extremis malis laboranti, opportunam allaturus opem ſe ſiſtat.

Adornat profectionem in Corſicam.

†

FINIS LIBRI PRIMI.

DE VITA,

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA ET GESTIS
VENERABILIS SERVI DEI
ALEXANDRI SAVLII
IN EPISCOPATV.

LIBER SECVNDVS.

Profectio Alexandri in Corſicam, & eius Comitatus.

CAP. I.

CAELESTIVM Chariſmatum dote largiſſima diues Alexander, zelotypo iam ſimilis, ad eam quam dato annulo ſibi deſponderat Eccleſiam expeditus carpit iter, & ſuis, ſiue patres, ſiue filios appelles, vale dicto, gratiiſque de more actis ſecedit, grauiſſimè dolens eam ſortem, quæ ſe de

Ægrè deſeris Cænobium.

de terreſtri Paradiſo cum primo hominum parente,
„ depelleret: O vtinam, aiebat ille, mutabili ſaltem
„ conditione: Adamo ad arua mouenda ligo tradi-
„ tur, mihi Pedum ad regenda pecora: Sed ego quã
„ lubens Pedum ligone permutarem? Iiſdem pie-
tatis officiis ad ciues, ſpeciatim erga illos quos Deo genuerat, exhibitis Mediolano diſceſſit.

Adduntur tres comites ex Ordine.

In longinqua, & in magnas curas abeunti Religioſa Patrum beneuolentia, tres pari pietate, ac doctrinâ præditos Sacerdotes de ſua Cõgregatione, innuente quoque Pontifice, adiunxit, Vincentium Curtium, Thomam Gambaudum, & Franciſcum Staulum; quorum aſpectu leniretur receſſus a Cænobio, conuictu aleretur Religioſæ vitæ conſuetudo, & ſocietate labores diuiderentur. Quare par ei cum illis menſa, quadra non diſpar, vna ſomni menſura, & æqua negociorum partitio. Cum Epiſcopo à vigiliis antelucanis ad multam noctẽ inſtabant rebus gerendis; a Dei verbo, a Cathecheſi puerorum, ab excipiendis confeſſionibus, ab infirmorum ſolatio, a morientium lateribus, aliiſq; Chriſtianæ pietatis obſequiis etiam ſibi menſa interdicta, nunquam diſcedentes; ſuccedentibus pòſt aliis, atque aliis ex eadem Congregatione, vt Ambroſio Rotulo, Barnaba Cornazano, Iacobo de Bruzatoribus, eò quod primi ob Cæli grauitatem, & labores nunquam intermiſſos in varias ægritudines collaberentur, & medicorum conſilio ad patrios lares remeare compellerentur.

Subiiciũtur Alexandri iuriſdictioni.

Verum ne Religioſo vallo emiſſis libera fieret quælibet viuendi licentia, peculiari cuſtodia Epiſcopi in officiis vitæ Religioſæ continendos cenſuere Patres iubentes coram, & datis litteris, correctio-

rectioni, atque iuriſdictioni Epiſcopi ſubiacere.

Præterea quò tutior inter eos vigeret conſuetudo vitę regularis, harum legum propugnaculo munitos eſſe voluere. Leges illis præſcriptæ.

„ Omnes, & ſinguli Reuerendiſſimi D. Epiſcopi; „ poſt eum Ambroſii Magiſterio, auctoritati,& im„ periis ſubiaceant.

„ Vbi pendere Epiſcopi mentem præſenſerint, in „ iis citra omnem repulſam impendant ſe ſe, nihil „ in oppoſitum deducentes.

„ Statis horis orationi mentali vacent; diuiniq; „ officii opus Canonicum peragant.

„ Nequis apud extraneos peccata confiteatur, „ niſi Epiſcopo permittente, & modum præſcribē„ te. Sero aqua benedicta aſperſi citiſſimè in cubi„ cula ſe recipiant, neque cum domeſticis, neque „ inter ſeipſos ſermonem protrahentes.

„ Sit vnicuique ſuus lectulus ſoli,de more Con„ gregationis.

„ Fęminas inſcio Epiſcopo domi ne conueniant, „ etiam adminiſtrandæ pænitentiæ gratia.

„ Extra communem menſam cibum ne ſumant, „ & eo minus apud exteros conuiuentur, niſi præ„ ſente, & inuitante Epiſcopo. Quo inconſulto ne „ vlla munuſcula accipiant.

„ Nihil pecuniarum contingant, poſſideantvè, „ ſeu modicum, ſeu plurimum; alioquin mulcta „ ſe ſciant dignos. Pro neceſſitate cuilibet proui„ deat Epiſcopus. Caueant ne in veſtimentis, aut „ omni corporis habitu quippiam noui, aut a Con„ gregationis vſu peregrinum inducant.

„ Licet autem ad omnem rem domeſticam ge„ rendam eorum opera vti poſſit Epiſcopus, ne ta-

Digitized by Google

„ men nomen, titulumvè Magiſtri Palatini aſſu-
„ mant. Abſtineant a ſuffragiis pro beneficiorum,
„ aut ordinum collatione.

„ Negociis expediti in ſtudium litterarum in-
„ cumbant, otio nullatenus indulgentes.

„ Preter vllam exceptionem omnibus ſe præſtēt
„ gratos, ac benignos, deuitantes omnem deordi-
„ nationē, & vſum ſingularem cuiuſuis perſonæ.

„ Placeat Reuerendiſſimo Epiſcopo ſingulis mē-
„ ſibus Præpoſitum Generalem certiorem facere,
„ de vita Patrum, & ſibi ſciat hoc onus ex conſciē-
„ tia imminere. Hactenus illi. Quo legum preſi-
dio cincta Regularis vitę diſciplina integra, & ve-
geta apud illos perſeuerauit.

Ticinum appellit. Mediolano Ticinum petiit, vbi tanquam in no-
biliſſimo theatro etiamnum perſonabat nomen, &
fama rerum geſtarum Alexandri. Dictu haud facile
eſt, quibus honoris, beneuolentiæ, ac reuerentiæ ſi-
gnificationibus veterem ciuem illi amplexi sūt ad-
uentantem, proſecuti tranſeuntem; inuidentes aliis
talem Paſtorem, ſed minimè proſpicientes, ſe ali-
quando redeunti ciuitatem, & ſepulchrum donatu-
ros. Relatu multo difficiliores ſunt ſingultus Do-
Recedit à Patre ęgrotante. minici Patris, ſub annorum æquè ac malorum gra-
uitate fatiſcentis, & lacrymantis in eo rerum di-
ſcrimine abdicari a ſe filium, vnicum ſenectæ ſola-
tium, & animę pluſquam dimidium ſuæ. Quid
hic pius Alexander? labantem animum Patris corro-
borare, lenire lacrymas, cum cohibere non valeat;
docere toleranda æquanimiter cuncta Dei arbitria,
denique quacunque poteſt ope, prece, eloquio ſub-
leuare, nec non Diuinę clementiæ, & Religioſorum
pietati commendare. Vale dicens a Parente bene-
dici

dici ſibi poſtulat Epiſcopus , at ſibi magis a filio Epiſcopo Parens : Ita grato certamine dum alteri alter benè precatur , filius Patri Epiſcopalem dexteram protendens, Filio ille paternam, benedicit: & ex eo temporis momento ſe non vltrà viſuri diuelluntur.

Viam feſtinus ingreditur Genuam iturus,vnde & promptior nauigatio in Corſicam , & ibidem multa ſuper regimine ſibi commiſsi Epiſcopatus cum Magiſtratibus illius Reipublicæ collaturus. A Duce, à Senatu , & ab vniuerſis Ciuitatis optimatibus honorificè admodum , & amanter exceptus magnam apud illos de ſe , ſuaque adminiſtratione ſpem concitauit , vt proinde Pio V. Pontifici de conceſſo Corſis tam inſigni Paſtore publicis litteris gratias agerent. Genuæ aliquantiſper immoratus propter æſtuantes turbines maris haud inutiles traxit moras. Vt erat ſpiritu feruens , Monaſterium in quo duas Sorores habebat , prædicatione, monitis, hortationibus in ſanctioris vitæ formam traduxit. Tum reddito mitiori pelago ſe committit.

Genuã pergit , quid ibi egerit.

Vix ſoluerat , cum velocior inſequitur ſcapha , qui extrema Patris , & Medicorum iudicio ademptam ſpem vitæ nunciet. Hæſit ad hoc filius dubius quid inter pugnantia animi vota eligat , quid prius ineat. Soluenda genitori morienti extrema putat : Præbenda quoque celeriter ſponſæ , pignoribuſque ſuis paſcua , ne inedia conficiantur. Animo tunc parumper collecto , & erecta in Deum mente , „ In nomine Domini , inquit , pergite , nihilo „ opus eſt alio , Arbitratus, aut fortè cælo edoctus, e viuis exceſſiſſe parentem. Non ignorabat eum , qui tot annorum curriculo didicerat benè , ſanctèq; viuere

Nauigãs extrema parentis intelligit.

viuere, ſcire ipſam quoque metam benè, ſanctèq; tangere. Animam agenti adeſſe plurimorum ſubſidia minimè dubitabat; periclitanti verò ſponſæ qui opituletur, ſciebat adeſſe neminem. Quare amorem amore expugnante, remiſſo nuntio, reliquum viæ proſequitur, genitori iuſta tempeſtiuius ſoluturus. Ibat nauigio celer, alas addente filiorum deſiderio. Et exeunte Aprili de Turcarum manibus elapſus, fauſtè, fœliciterque in Corſicam delatus eſt. In Corſicā peruenit.

Diœceſis Alerienſis facies, & quomodo illam curare cœperit Alexander.

C A P. I I.

DIVINA prouidentia factū eſt, vt non inermis, aut tyro ad edomanda monſtra Corſicam ſæuius feris infeſtantia Seruus Dei proceſſerit, vtque ad imbuendam Chriſtianis moribus, & doctrinis agreſtem, ac ſyluеſcentem plebem rudis ipſe, atque imperitus non acceſſerit. Succubuiſſet planè, ni ex Congregationis ſuæ armamentario arma detuliſſet, & vetuſta exercitatione victoriam in eiuſmodi conflictu ſibi parere nouiſſet. Sanè ſtrenuò huic bellatori, neque campus arctior, neque hoſtis inferior debe-

debebatur, cui quò amplior laborum, eò copioſior palmarum ſeges.

Squalebat ea tempeſtate inter alias Corſicæ Eccleſias Alerienſis, ſcatebatque velut inculta ſylua variis morũ corruptelis, ignorantiæ perfuſa tenebris, iacẽtibus vbiq; pietatis, ac litterarũ ſtudiis. Viſebantur paſſim per agros, & in Oppidis diruta, aut ruinæ proxima templa; Vix vnum, aut alterum reperiſſes integrum, ac ſatis tutum ad diuina agenda: Quod ſi integrum, ſtatim illud ſqualore, fætore, fumo denigratum, nudata palliis altaria, ſacras veſtes, & pro officiorum diuerſitate ornamenta aut nulla, aut lacera, imagines deformatas, diu, noctuque patentes valuas Eccleſiarum, vt caulas pecudibus potius quam aulas populo Chriſtiano ad cultum Dei capiendo dixiſſes. Apud Sacerdotes collapſa lugebat omnis diſciplina Eccleſiaſtica, & ex Prophetæ dicto, Repulſa ſcientia Dei: non habitus, non decor gradui conformis, Sacrorum rituum, atque Sacramentalium intoleranda incuria, craſſa inſcities munium Sacerdotaliũ, vt etiam multi vix de libro congruè, & expeditè legerent, linguam verò latinam ſcirent perpauci. Euangelii leges, myſteriaque ſilebant vndique, Chriſtianæ Catecheſeos nomen ne apud Parochos quidem auditum, itavt ſi cui de populo fames eſſet verbi Dei, non adeſſet qui panem ei frangeret. Nulla in tota diœceſi pro educatione Sacerdotum Collegia, non Cathedralis ædes, non ſedes, non tectum Epiſcopo, qui vel precario, vel conducto vti cogebatur hoſpitio.

Alerienſis Eccleſia ſylua inculta.

Apud Populum dies feſti, ſtata ieiunia, ſtudia diuini cultus neglecta, peſſundata templorum, ac Presbyterorum reuerentia, Sacramentorum vſus

Plena corruptelis.

ita

ita proſtratus, vt apud religioſiores Sacra Communio non extra feſtum Paſchale, apud cæteros rarior adhuc eſſet confeſſio. Confirmationis nomen incognitum; Crebra matrimonia illegitime inita, ac per inceſtas nuptias propagatæ familiæ. Pauci admodum, qui capita fidei, præcepta Dei, orandi, & efformandæ crucis modum, aliaque ad ſalutem neceſſaria rite tenerent. Vigebant autem inimicitiæ implacabiles, odia inextinguibilia, cædes proditoriæ, vel in aperto ſole immaniter commiſſæ; veneficia, Sacrilegia, & eiuſmodi alia de Erebo erumpentia monſtra, quæ gregem Chriſti quam miſerrimè dilaniabant, paſtoribus tanquam canibus mutis oues luporum prædæ expoſitas deſerentibus.

Nec quiſpiam miretur exundans illud malorum pelagus: nam præter id quod ſub cęli convexo nihil non contrahit vetuſtatem; & in dies deteriora fieri videmus omnia, irreparabili detrimento fuere pyratarum perpetuæ direptiones, inteſtina incolarum odia, & execrandæ diſcerptiones: necnon ad comprimendos rebelles poſtremæ incendiorum, & armorum deuaſtationes. Adde diuturnam Antiſtitum abſentiam ob anguſtias loci, & euerſas ædes, Eccleſiamque Epiſcopalem.

Animoſus cultum ſuſcipit Alexander.

Hæc & alia permulta malorum capita aduentanti Epiſcopo adfuerunt in limine, quorum miſerando aſpectu teneri Paſtoris viſcera cōmota quidem ſunt, ſed non fractum pectus, neque propter tantam deformitatem repudiata ſponſa, quin potius quò illa facie deformior, eò in amorem, & amplexus promptior irruit Alexander, longè maiora charitatis, magnanimitatis, vigilantiæ, atque patientiæ incrementa facturus. Diuino itaque auxilio quod aſſi-

duis

duis precibus, ac ſacrificiis ſolicitabat, quaſi Herculea claua munitus manum miſit ad fortia, & ad extinguenda tot monſtra inceſſit. Animum ità componens, vt quicquid res præſens, quantumvis ardua exigeret, id pręſtaret, ſi poſſet; ſi minus poſſet, optaret: omnia Superioribus arbitriis diuinæ prouidentię ſubmittens; vna illa de re duntaxat triſtis, quod careret miniſtris indigenis, qui ſibi in onere paſtorali manum, & opem admouerent.

In aditu tamen multum animi, ac fiducię concepit, fæliciorisque fortunæ augurium, ex inſperato occurſu promiſcuæ virorum, fæminarum, ac paruulorum turbæ, quæ cœleſti, non humano impulſu excita, citrà verò omnem pompam feſtiua, venerabunda, & animo, corporeque exultans venientem Paſtorem excepit. *Bonum ex occurſu augurium.*

Diuertit primum per dies aliquot in Oppidum Baſtitam, quæ ſedes eſt Inſulani Gubernatoris: Ab eo, cœteriſque miniſtris Reipublicæ comiter, & honorificè hoſpitatus; communicatiſque, & a Gubernatore comprobatis conſiliis, quæ erant de rectaſ Eccleſię adminiſtratione, ab eo loco, quòd alienæ eſset diœceſis, ad Curtem vicum Plebis Talcini, ſuæ, ob feſta Pentecoſtes pedem retulit, non ſine pollicitatione certi ſubſidii etiam a poteſtate laica ſuſcipiendi, pro vſu rerum, ac temporum. *Diuertit in Oppidum Baſtitę ad Gubernatorem Inſulæ.*

Exinde Talonum, pagum plebis Opini, Epiſcopatus Alerienſis, non procul a maris littore, & ab Vrbe Aleria duodecim paſſuum millibus diſtans habitationi ſuæ delegit, quò greges ſuos præſentior curaret. Satis amęno ſolo locus erat, ſed cœlo nõ æquè ſibi, ſuiſque ſalubri. Ibi cum honeſtior non extaret ſedes, conduxit veterem domum, ſeu potius *Taloni primam ſedem figit.*

L vaſtam

vaſtam turrim quam deinde contabulationibus diuiſam in nouem cellulas, ſeu mauis gurguſtia, vno lectulo occupanda, ſibi, ſuiſque diſtinxit, quovſque ære priuato proprias ædiculas fabricaret.

Epiſcopalia munera hic primū exercet.

In Oppidulo Taloni Eccleſiam nactus aliqnantæ amplitudinis, valde tamen inconcinnam, ibidem Pontificalia munia quoquomodo exorſus eſt. Ibi feſto quoque die conciones habere, elementa fidei Chriſtianæ explicare, populis ritu Epiſcopali benedicere, ordines conferre, ſynodum celebrare: Illuc adnoui ſolis ſplendorem de vicinioribus quoque mappalibus certatim confluere ruſticani, quos quãtumvis agreſtres, & alpeſtri modo agentes ea vrbanitate, & ſermonis facilitate bonus Paſtor complectebatur, vt inſolitam benignitatem ſuſcipientes ceu Sanctum illum colerent.

Ad pagos eadem de cauſa properat.

In longius d ſiunctas villas, & pagos operam deferebat ipſe ſuam, modo eques, modo pedes; proprio commeatu ſemper. Recta in Eccleſiam pergere mos erat Epiſcopo, aurem peccata confitentibus præbere, Sacrum facere, Sacra dare, ſermocinari, Cathechizare, idque incomparabili cũ fructu Animarum, quæ velut ad aſtri Cælo demiſſi radios incaleſcebant: Et quamvis ſupra omnem modum ſecreta Dei contemplatione, priuataque oblectaretur quiete, tamen perſpecta ouilis ſui cæcitate, & quibus malorum tricis inuolutum iaceret, mærore, ac pietate perculſus, omni poſthabita ſui, ſuarumque rerum ratione, in illius ſalutem animo, & cura totus excubabat.

Ægrotat.

Verum per tot curſitationes, animique ſollicitudines, corporis valdè debilitati reliquas vires facile proſtrauere aeris inclementia, ſtomachi languor, nouæ

nouæ laterum infirmitates, & rheumatum incrementa. Suadentibuſque Medicis eneruatum curare, ac reficere longo pharmacorum apparatu, ferventiſsimus Paſtor ne inchoati operis fila interim ſucciderentur, corporis imbecillitates vigore animi ſuperans, reiectis medicaminibus cæteris, diuino patrocinio ſe totum credidit, & ſola victus parſimonia, ac potius inedia morbos extinguendos, vireſque reparandas duxit: Interea Ouium curæ, & ſaluti intentus. A mercenario verum paſtorem diſcriminans, cùm ille, vt aiebat Chryſoſtomus, propriæ, contemptis ouibus, hic autem ſua contempta, ouium ſemper ſaluti inuigilet. Non longè tamen poſt de Taloni ſtatione ob aeris inſalubritatem, & barbarorum infeſtationes aliò tranſmigrare coactus eſt.

Ne expta retardentur apparatum medicamentorum reſpuit: mediâ contentus.

Curæ interim animarũ inſiſtens.

Ioan. Chryſ. Hom. 19. in Io.

Luſtrat Diœceſim.

CAP. III.

MORBOSI gregis vitia paulatim detegẽs, quaſi qui ęgrotantis apoſtemata digito circumquaque pertentat Medicus, vt ediſcat qua parte ſinus ferrum aptius, ac vtilius inferat, quove vnguento mage propitio liniat, ineundam ſibi vniuerſæ Dięceſis luſtrationem propoſuit. Sapientis monitu etiam eruditus, quo Paſtores prouocantur, vt vultum pecoris ſui agnoſcant,

Adhuc imbecillis viſitationem inchoat ſũmo Autũno anni primi.

agnoſcant, & gregem diligenter conſiderent. Inchoari decreuit exacta meſſe, ne ruricolis ſterilitatem eius anni lugentibus damno eſſet maiori; Præueniri interim publicis precationibus, ac ſacrificiis, perſpectum illud habens, non ab eo, qui ſerit, aut rigat, ſed qui incrementum dat Deus, omnem frugem expectandam. Viſitationis laborioſum curriculum valetudine preſſus, ſed Apoſtolico ſpiritu efferueſcens, Epiſcopatus ſui anno primo, ſummo iam Autumno auſpicatus eſt; paucis cum adminiſtris præ inopia operariorum, & ne Parochi vltrà vires grauarentur. Totum comitatum compoſuere Clerici Barnabitæ duo, quæſitor vnus, a ſecretis vnus, à manibus pedibuſque vnus.

1. Cor. 3.

Paucis cum miniſtris.

Solemnis per eam functionem ritus fuit: Præcurſores quatenus commodè póſſet præmittere, qui populum ad cæleſte beneficium excitarent, & res omnes ita maturè diſponerent, vt adueniens Epiſcopus minori negocio, quæ ſui ſunt muneris, perficeret, fieretque præparatæ plebi fructuoſior viſitatio: In aditu locorum procumbere humi poplite vtroque; exoſculari crucem, vnde ſibi omne firmamentum, roburque animi, omnis quoque ſpes rei benè agendæ: Inde in Eccleſiam, Chriſti exemplo rectà contendere, nulla ſibi, aut ſuis parte quietis conceſſa: Dum ibi conglobatur populus, faciles, benignaſque aures errata ſua confitentibus dare: Miſſam facere, ſacram concionem interiicere, & pollice proprio Sacramenta porrigere. Poſt hæc doctrinæ Chriſtianæ elementa, ac toto ſæculo intermiſſum Chriſma tradere, edocta prius de tanto myſterio plebe; miniſtros Eccleſiæ ad priuati examinis trutinam reuocare; diſcordes, ſiue viros, ſeu

Ritus agẽdi.

familias

Digitized by Google

familias in concordiam pellere . Quæ ſingula qua induſtria , quovè profectu egerit , apertius dicendis intelligetur . Prodibant hinc inde cateruatim plebes, & inſolitam lucem maieſtatis Epiſcopalis, ſuauitatem morum, inaſſuetam quoque vitæ ſanctimoniam admirantes, hominem non ſecus , ac empyreo demiſſum venerabantur , & fidentiſſimè illi ſeſe , ſuaque concredebant .

Quanta ſit perpeſſus mala.

Quis ſatis exprimat , quantum inter hæc agenda ſudauerit Venerabilis Dei Seruus? quāta ſit incommoda perpeſſus ? Quoties viribus imminutum oportuit peditem ad vicos , ad caſtella accedere ? quoties oues inter ſaltus perſcrutando , nequa illarum Paſtorem fugeret , altiſſima atque aſperrima iuga montium, iumentis impervia, manibus, pedibuſque reptantem ſuperare ? quoties ouilia perquirentem per offuſas tenebras noctis,ſub dio pernoctare incęnatum ? Protenditur etenim Diœceſis Aleriæ ad ſeptuaginta millia paſſuum longitudine, latitudine ad quinquaginta , conſtatque duodeuiginti plebibus, intra prærupta montium magna ex parte latentibus , vbi nonniſi tuguriola , aut ſemedirutæ caſę ruſticorum, genus alpeſtre, imperitum , efferum , & rei familiaris pauperrimum . Ad ea tamen loca anhelans animarum ſalutem Alexander pellente flamma charitatis procurrebat intrepidus . Quid inquam intrepidus ? Etiam alacris, & exiliens, ſolitus quādoque defeſſos , & exanimatos comites hilariter recreare , animareq; illis verbis , Eia comites læti , & alacres hunc quoq; calicem ebibamus , adhuc hoc impleri oportet in nobis .

Et quam hilariter.

Rerum Eccleſiaſticarum, & Cleri Ordo peruerſus.

Plus negocii, & doloris attulere Eccleſiarum deformitates , rerum omnium ſuſque deque perturbatarum

tarum aſpectus, neglectus diuini cultus, & deflenda animarum pernicies. Per hanc etenim primam luſtrationem vidit nihil aſſeruatum Sacramentorum in aliquibus Paræciis, in aliis nullo lumine, nulla reuerentia alicubi in apertis pixidibus, rudi craſſaque manu fabricatis; olei ſacri vaſcula, thecas reliquiarum indecore, & quaſi per contemptum hac illac diſſipata; onera miſſarum, diuinaque officia, aut prætermiſſa, aut perfunctoriè habita, Eccleſiaſticam ſupellectilem diſciſſam, vel ſordidam: Annales libros initiatorum ſacro baptiſmate, libros matrimonia contrahentium, necnon ex hac vita migrantium ferè nullos extare, vnde pro temporum viciſſitudinibus actorum monumenta euantur; multos etiam intellexit ope deſtitutos Sacramentorum e vita ceſſiſſe miniſtrorum incuria. De Clericis, & Presbyteris aliquos præpoſterè, & male ordinibus initiatos reperit, multos irregulares, alios ſimoniacos, quoſdam negociis ſæcularibus deditos. Nonnullos apertos concubinarios, qui ſpurios, teſtes natiuos paternè incontinentiæ, domi impune retinere, & palam oſtentare non erubeſcerent. Contremuere ad hæc anxii Præſulis præcordia, defecit præ mærore anima; enixus tamen eſt quam potuit diligentiſſimè in meliorem ordinem cũcta redigere, adhibitis vnicuique, ſiue perſonæ, ſiue malo, quantum licuit, congruis remediis. Hos corripit; illos hortatur, alios plectit, aliis comminatur, nonnullos officio ſubmouet, quoſdam delegata ſibi a Pontifice authoritate cenſuris ſolutos redintegrat: Omnia peragens diuina quadam arte, & diſcrimine tam mirabili, quam proficuo.

Nititur in melius cuncta redigere

Quandiu tres illos ſuæ Congregationis Patres ſubſi

Solus gemit ſub pondere

ſubſidiarios habuit, impigrè ſe laboribus offerentes, & dicto citius mouentes ; quocunque proprii inſtituti ratio, vel Epiſcopi authoritas vocaret, ſatis placidè, atque fauſtè res omnes proceſſere ; at vbi eos morborum genera varia in patriam depulere, tota agendorum mole Epiſcopi humeris incumbente ipſe ſub pondere gemiſcit, donec nouos adiutores ex eadem Congregatione acciperet ; de Clero ſuo ne ſuppares quidem habens, nihilque penitus, nedum parum opis ab Inſulanis ſperans. Quare aliunde accerſere Sacerdotes cogitur, pinguiore ſalario: At quis in id regionis horridę, feros inter homines, tametſi multa pecunia augendus ſe vltro detruderet? Neceſſum fuit facinoroſos Parochos fędis exemplis pernicioſiſſimos ad tempus tolerare. Neceſſum bis eodem die in feſtis, pręſertim Paſchali celebritate, Sacrum permiſſu Pontificio facere. Neceſſum beneficia immeritis conferre, & ab ordinibus ſacris indignos non repudiare: publica commoda priuatis vitiis potiora iudicando, ne populus neceſſariis ad ſalutem priuaretur, & inedia rerum ſacrarum interiret. Offerunt ſe in triſte exemplum tres Parochi, publici concubinatus conuicti, quos a ſacrorum adminiſtratione ſubmouere non tulit animus, quia quos pro iis reponeret non adeſſent: fuiſſeque illud tanquam ſummæ prudentiæ opus à Gregorio XIII. magnoperè commendatum litteræ Cardinalis Caraffæ teſtantur. Accipe, & aliud non minoris neceſſitatis ſimul, ac prudentiæ. Suſpenderat aliquando a diuinis quempiam notiſſimum Concubinarium, locumque alio ſanioris vitæ Sacerdote ſuppleuerat. Inde ſuſcitati fluctus ſeditionis ingentes, tumultuante plebe, & in armis priorem repo-

Pernicioſos Sacerdotes tolerare cogitur cum alios non habeat.

ſcente,

Prudentia in corrigendo.

ſcente. Superſedendum operi per id tempus prudenter exiſtimauit Preſul, ſuperſeditque patiens, ne quaſi inſipiens medicus, dum phreneticum, ac furentem curare inſiſtit, ęgro nimium moleſtus plus damni quam ſanitatis afferat. Porro cum vulgarem hanc,& paſſim obuiam Cleri fœditatem,populi inſolentiam,& communem incolarum feritatem a vitiis, mutuiſque a cædibus cohibere, etiam opitulante ſæculari poteſtate nullatenus poſſet, plurimum adhuc mæroris, & ægritudinis Epiſcopo adiectum eſt.

Quam alacriter crucem ferat.

Age iam, quo animi ſenſu, qua mentis magnitudine tot,tamque graues moleſtias perferret, ediſſerat ipſe. Siquidem ad Præpoſitum S. Barnabę ſcribens in hęc doloris, & conſtantiæ verba prolapſus eſt.

„ Mergor vndique in hoc Epiſcopatu angu-
„ ſtiis, & angoribus, eo durioribus, quod præſen-
„ ti remedio non placabilibus. Verumtamen vo-
„ luntati Dei aſſentior, & in cunctis, quæ ſupremæ
„ illi maieſtati placita ſunt,placeo ipſe mihi, quod-
„ cunque genus crucis impoſuerit,ex animo geram,
„ illamque etiam ſi vnico verbulo excutere poſſim,
„ nequaquam fecerim, expetens mihi omnia con-
„ tingere, non ex ſanguinibus,neque ex voluntate
„ carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex vno Deo,
„ cuius gratia tanto ponderi colla ſubmiſi. Verum
„ non hoc timoris mei caput eſt. Plus vereor, ne
„ gelido ſpiritu, & imbecillitate ingenii mei, len-
„ taque cura, mihi & hiſce papperculis maiora in-
„ gruant detrimenta. Cœterum iuxta mihi eſt vi-
„ uere, ac mori, ideſt nihili; mori item vel ſerius,
„ vel preproperè; ſiue enim viuimus, domino viui-

mus

„ mus, ſiue morimur Domino morimur. Hactenus Alexander. Cuius vide obedientiam, vide deuotionem, atque animi infractum robur. Non expaueſcit ad quæ nos homuli toto ſenſu horreſcimus. Vnq cùm poſſet verbulo, renuit iis ſe ęrumnis leuare, quas nos totis viribus ferre detrectamus.

Cerne & nouum alias ſcribentis propoſitum. Ita „ coarctor incommodis, inquit, vt niſi ope diuina „ ſeruarer, cadendum prope eſſet. Sed ego nihil „ vnquam eorum, quæ mihi de Dei manibus inci„ dent, accipiam triſtis. Si me in peſtilentiori an„ gulo Corſicæ demorari cogat, ex animo ſequar. „ Certus vbique mihi propitium, & patronum fore „ numen illud benigniſſimum, quod nouit ſuis quæ„ que viis, ſibique placitis rationibus in deſtinatos „ fines deducere. Hoc vnum mihi pro ſummo vo„ to, & gratia eſt, ita diuina virtute corroborari, „ nulla vt in re illi diſpliceam, ſed magè per omnia „ voluntati eius obſequar. Ad hoc orationibus per„ multum opus eſt mihi omnium veſtrum, a quibus „ quanto longinquior præſentia, tanto ſum animo „ propior. Ego verò in omnibus, & de omnibus „ maximas diuinę Maieſtati laudes ſoluo. Vale.

Idem.

Quam pauciſſimos, vti prænarratum eſt, in Viſitationem aſſumebat comites, ne hoſpitibus eſſet grauior. Verumtamen ne poſteris quoque Epiſcopis præiudicio fieret, ea quæ ritu Eccleſiæ Canonico, pro victu, pro itineris, & rerum præſentium vſu a Præsbyteris deferri ſolerent, gratus accipiebat: non tamen vltra primum diem, nec apparatu ſumptuoſo; conditam frugalitate menſam auidè quærens, quam vnus, ac alter miſſus, iſque vulgaris, ac vilior faceret opiparam, vt meritò illud Apoſtoli vſurpare poſ-

In viſitatione nulli grauis

Menſa frugalis.

M ſet,

2. Corr. ſet, *Semper mortificationem Chriſti in corpore noſtro circumferentes*. Si longius vno die loco immorari contigiſſet, impendiis viuebat ſuis. Taleſque, neque diſſimilis vitæ iubebat eſſe ſuos, ſiue domeſticos, ſiue miniſtros, vt eo modo tum Epiſcopus, tum Epiſcopi familiares, vbique locorum exempla ſectandæ ſanctimoniæ darent.

Vltra primum diem victitat ſuis ſumptibus.

Nullum præteriiſſe locum viſus eſt in quem Cathecheſim doctrinæ Chriſtianæ non induxerit; Cathedramque, Magiſtros, regulas, & monita ingenio populi accommodata non ſtatuerit. Nec aliis eam curam demandaſſe ſatis fuit diligentiſſimo Patri: Apoſtolicum officium, Apoſtolicum miniſterium adimpleuit ore, operaque propria. Puerulos elementa fidei, præcepta Dei, & Myſteria Chriſtianæ Religionis, omni cum benignitate, ac patientia docet, factus cum pueris puer, munuſculis, imaginibus, & aliis ad pietatem, nonnunquam & pecunia illos alliciens; quo in eam ſcholam promptiores, & alacriores concurrerent. Rudimentorum fidei libellum ære ſuo excudit, quem viritim, & manu propria diſtribuebat, vt dono maiorem gratiam conciliaret.

Cathecheſim vbique inſtituit.

Quotannis Diœceſim per partes luſtrare aſſueuerat præſens Epiſcopus, quo potiſſimum duce nitebatur hæc prouincia: Sin ſecus, legabat ſelectos Sacerdotes e noſtris alios, alios ex ordine Eremitano S. Auguſtini, & ex Franciſcano Capucinorum, aut Vicarios ſuos, viaticum, impenſaſque omnes ſuppeditans (nolebat enim tenues Clericos onerari) præſcribebatque rationem, & methodum agendi, facultatibus quoque, ac priuilegiis viſitantium communicatis. Seueriſſimè præcipiebat exigi rationes de præhabitis Viſitatorũ decretis, vtrum obſeruata,

Viſitat quotannis, vel per ſe, vel per delegatos, impenſas illis ſuppeditans.

an neglecta, & irrita, ierint. Non enim in multiplicibus decretorum faſciculis, ſed in accurata eorum obſeruatione ſitam affirmabat boni regiminis ſummam.

Synodum celebrat.

CAP. IV.

EDOCTVS conſtitutum eſſe Epiſcopum in iis, quæ ſunt populi ad Deum, eò potiorem vitæ ſuæ portionem conferendam putauit, quo potiſſimum Religio, cultuſque diuinus amplificaretur. Cumque Paſtoralis induſtria in eo præluceat, ſi pios, ſi benè moratos, impigros, ac boni exempli habeat Sacerdotes, commune viſitationis beneficium reformatione Cleri, de quo nonnullum viſitando collegerat experimentum, cumulare deinceps progreditur, indicens Diæceſanam Synodum, eo mage neceſſariam, quod præter hominum memoriam illius aliquando habitæ mentio nulla extaret, nullum ſcripto indicium. Adeſſe ſub initium quadrageſimæ Anni 1571. quorquot de Clero obſtringeret officium, tum Parochos, tum Miniſtros, promulgato edicto mandat, longas precationes populo præſcribens, quibus a Summo Optimoque Deo impetratum eat, omnia ordinatè fieri, & ad vota reſpondere. Centum, & quinquaginta capitibus, ſi Parochis ſocios adnume- Cogit Clerum ad Synodum.

Digitized by Google

res, cœtus omnis conſtitit; quorum nemini [illegible] paſſus eſt in diuerſoria, aut contubernia ſecedere, decoro & dignitati ſacerdotali conueniens. Sed qui didicerat ab Apoſtolo Magiſtro ſuo, Epiſcopum hoſpitalem eſſe oportere, hoſpitem ſeſe munificentiſſimum præbuit. Octoginta de advenis excepit, partim apud ſe, partim præter morem regionis, in amicorum ſuorum ædibus, a ſe de induſtria paratis; lectuli ſui ſtratum ſibi quandóque ſubtraxiſſe lætus, vt illis commodaret. Siqui propinquorum, aut neceſſariorum hoſpitio frui mallent, non ante permiſit quã familiæ nomen, & quem panem exploraſſet. Cibus domeſtica Epiſcopi, & eius ſumptu aliundè ſingulis ſuppeditatus eſt, præter alia quibus quis opus haberet.

Hoſpitio excipit, & alit.

Synodum præmiſſo ieiunio triduano exorſus eſt, præmonito populo de agenda ſynaxi, vbi de eius Sacramenti præſtantia, auguſtoque merito perardentem ſermonem habuit. Statuta porrò die coacto Clero, rudes, incultoſque homines, in ſacris Cæremoniis verſatos ad decentem, & benè compoſitam ſupplicationem ordinat Epiſcopus; poſt decantatam Miſſam, grauiter, & accommodatè diſſerens de cauſis congregandæ Synodi, fructus inde colligendos, planè, diffuſèque edocuit. Tum de Sacerdotii dignitate, & Sacerdotum officiis, de Epiſcopi, & Parochorum partibus, de Eccleſiaſtica diſciplina, eruditè locutus, contendit, eos qui ſacris ordinibus initiati eſſent, ad quamdam vitæ perfectioris ſpeciem præ cæteris vocari, luculentiſſimè demonſtrauit.

Quæ Synodo præmiſit.

Inductus nunc primo in Eccleſiam Alerienſem Sacroſancti Concilii Tridentini vſum, multis egit, vt ipſum Parochi, & cuncti Sacerdotes placidè,

Authore Alexandro recipiuntur acta S. Concilii Trid. &c.

&que ex animo amplecterentur; commendans Sanctiſſimum illum Senatum eruditiſſimorum, & Orthodoxorum Patrum, Reip. Chriſtianæ procerum, ex vniuerſis mundi plagis collectum, pro fidei Catholicæ Religioſa cuſtodia; qui q; tanti põderis myſteria lõgo examine diſcuſſere, & ea nonniſi præuia ſẽper diuini numinis luce definiere; qualia ſunt decreta de Iuſtificatione, de Sacramentis Eccl. Catholicæ, de recta ordinatione, de bono delectu miniſtrorum, de Seminariorum inſtitutione, de collationibus beneficiorum, & aliis eiuſmodi ſummatim ab ipſo relatis. Hortabaturque ne Cęlo delatam lucem, & a Deo collatum beneficium incurioſi reſpuerent, oſtendens quanto futura eſſent emolumento ad communem ſalutem, ac tranquillitatem. Perorauit denique tanto animi, & verborum æſtu, tanto dicendi lepore, & paterni affectus expreſſione, vt per Auditorum oculos, per ora, totumque corpus effluentes lacrymæ commota eorum pectora conuincerent. Quare altius prælecto cap. 2. ſeſſ. 25. vnanimi omnium ſenſu, & voce, authore Alexandro pro Concilio Tridentino conclamatum eſt, iurata Pontifici Romano obedientia, emiſſa ſingillatim fidei profeſſio, atque anathematizatæ hæreſes, ab eodem aliiſve Conciliis damnatæ. Neque ab ea fidei, vitæque religione vnquã poſthac defecit Alerienſis Eccleſia. Addidit publica lectione decreta eiuſdem Concilii, necnon Apoſtolicas Conſtitutiones ſuper ſtatu, officioque Eccleſiaſticorum; adiunxitque præclariſſima quædam ſuæ ſapientiæ monita, compendioſam ſanctitatis normam complectentia, vniuerſis Clericorum ordinibus, in primis animarum directoribus valde ſalutaria, a ſe prius articulatim digeſta

Monita, & decreta ſalutaria typis impreſſa Clericis diſtribuit.

ordina-

ordinetimque conſcripta, ac poſtmodum ſuis typis impreſſa, & in libellum redacta, quem Clericis, ac Præsbyteris liberaliter, citraque pretium diſtribuebat.

98 Propter abrogatam iamdudum cenſurã Synodorũ, quę pullulantia germina vitiorum exemplo cõprimeret, latiſſimus aditus corruptelis patuit, quorum nonnullæ propter eorum exceſſum hoc primò in conuentu diſſimulatæ ſunt, ſublatæ plurimæ. Multa edita Sanctiſſima decreta, Eccleſiæ. & morum reformationi, bono regimini, & animarum ſaluti quã maximè conducentia. In iis præcipuum extitit Chriſtianorum dogmatum tradendorum onus, Parochis præcipuè impoſitum, vt nullo ex feſtis diebus per horas pomeridianas opus vſque adeo neceſſarium, æquè maribus, ac fœminis ſinant intermitti. Clericos, ac Sacerdotes in id ad Eccleſiam quemque ſuam conuenire adegit, Rectores, Magiſtros, ac Miniſtros diſcipulis per claſſes diſtributis præfecit, docendi, & omnem agendi iuſtam rationem ſcripto, voce, actu expoſuit præſens, immenſa voluptate capt⁹ inter puerulos verſari, orandi Dei modum edocere, precepta, & reuerentiam numinis tenellę infantium memorię imprimere, capita fidei diſtinctim interpretari, de iis quæſitare, dubia ſoluere, & cœtera omnia boni Doctoris officia erga imperitam plebem peragere. Ita ſterilis olim, & horrens Alerię vinea, laborioſi, & induſtrii cultoris manu paulatim ſpinis, & ſentibus emundata, noniſque ſurculis inſita cœpit virides pampinos, & erumpentes flores oſtentare, vberes, maturoſque fructus mox editura, eadem manu per recurrentes annos obſtetricante.

Iniungit opus doctrinæ Chriſtianæ. Methodum præſcribit.

Præeſt ipſe lubentiſſimè

Quamuis

Quamuis autem nullo anno vineam ſuam luſtrare, illiuſque ſepes, & ceſpites contemplari deſineret partim in Synodis, partim in viſitationibus: Ad tutiorem tamen, & accuratiorem culturam, quoſdam viros, quaſi operarum Principes conſtituit, Vicariorum foraneorum titulo, qui in aliorum opera, attentius inuigilarent, de fruge vinearum, ſiue multa, ſeu nulla ſæpe coram inueſtigarent, referrentque omnia Epiſcopi iudicio, vt eo pacto nunquam remotos ab exactiſſima vineæ inſpectione oculos habuiſſe videretur. Vicarios foraneos conſtituit.

Pergamus iam ad reliqua Synodi acta, immo & ad exitum. Præter vocales orationes, quas eo têporis frequenter, & copioſè Deo deferri imperauerat, ignotam penitus illis regionibus meditandi, atque mente orandi exercitationem benignè, & opera ſua edocuit quemque de Clero in Synodum conuenientem, capita meditationum diſtinguens, ac minutatim digerens argumenta, ratiocinandi vias, & artem capiundi fructus, dilucidè ob oculos ponẽs, vt abeuntes inhærere Deo cogitatione addiſcerent, & in Eccleſia ſpiritu, ac mente pſallere. Ante dimittendam Synodum, cuiuſque Sacerdotis, præſertim eorum quibus incumberet animarum cura, vitam, doctrinam, & partes alias ſigillatim, & exquiſitè ſcrutatur: quos minus aptos offendit, ab ea cura remouet, in ædibus Epiſcopalibus detinet, victum præbet, doctrina, boniſque moribus erudit, donec abundè inſtructis ad gregis aſſuetam cuſtodiam redire liceret. Docet modos ſacræ meditationis.

Denique omnibus ritè, & cum fructu in Synodo peractis, Congregationem ſoluit, Paſtores ad ouilia dimittit, minus copioſis, aut longo itineris tractu Quomodo ſoluat Synodum.

remean-

remeantibus iuſtum viæ commeatũ liberaliter elargitus.

Clericorum Seminarium inſtituit, & fouet.

CAP. V.

PROBOS Sacerdotes e probis fieri Clericis, ſapienter aſſerebat Alexander, magnique referre in Eccleſia Dei bonam adoleſcentium, qui ſe diuino cultui dicauerint, educationem. Quocirca vt in poſterum aptiores, peritioreſque Sacro Miniſterio euaderent Sacerdotes, Collegium ex Decreto Concilii Tridentini, cum primum potuit, erexit. In quo tanquam in feraci, perpetuoque virtutum Seminario, aliquot bonę indolis Clerici liberalibus artibus, Eccleſiaſticis diſciplinis, ac moribus Chriſtianis imbuerentur. Collegium prius in conductis, poſtea in ęre ſuo coemptis domibus collocauit; poſt annuo reditu trecentorũ aureorum de cenſu Epiſcopali inſtruxit, Magiſtros collatis iuſtis ſtipendiis prępoſuit, adductos fere aliunde, ingenti ſumptu, cum apud ſe nullos haberet ſatis idoneos.

Domos emit pro Collegio Clericorum, ſuppeditatque neceſſaria.

Non tamen promiſcuè cuiuſcunque conditioni iuuenes in Seminarium voluit intrudi: ſed explorata iudicio cenſorio cuiuſque natura, atque ingenio. Diœceſim etenim cum perluſtraret, ſi quos bonę indolis

Seligit adoleſcentes magis idoneos.

indolis, ac ſpei adoleſcentes offendiſſet, diſciplinæ faciles, ad rectum pronos, pietati vtcumque deditos, ingenio perſpicaces, alijſque dotibus commendatos, nominibus eorum adnotatis in libello, quem apud ſe continenter gerebat, a parentibus opportuno tempore, & loco depoſcebat: nec illos modo impetratos, ſed alios notæ ſimilis ſponte oblatos Collegio adſcribebat; longè etiam plures habiturus, ſi plures expetiſſet.

Seminarium cõſtituere in Oppidulo Taloni iuuenes duodecim, quibus deinceps alij, atque alij, quantum ferebant opes, adnumerati ſunt, ſupra viginti quatuor; quos omnes ſinu paterno acceptos alebat, educabatque amantiſſimus Epiſcopus, quicquid manu, quicquid lingua illis prodeſſet, alacri ſemper animo ſubminiſtrans. Inchoat illorum Seminarium Taloni

Nec alieno porſus magiſterio fidens, totam hanc prouinciam credebat alijs; pœdagogiam ipſe ſubijt lubentiſſimè æquè, atque diligentiſſimè. Docebat diluculo expergefactos ad ſacrã orationem ſurgere, vna ſecum preces horarias B. Virg. primo mane recitare, meditationi rei diuinæ ad ſemihorã vacare, diebus feſtis matutinã pſalmodiam in Choro concinere, rubricatas leges Breuiarij interpretari, illarumque vſum vſu percipere, miſſæ Pontificiæ miniſtrare, omnem denique cæremoniarum Eccleſiaſticarum ritum callere. Frequens ſua ipſe manu Euchariſticum tradit, doctrinam Cathechiſmi Romani explanat, regulas victus, ac Studiorum, deque omni alia re domeſtica prudenter commentatus preſcribit, exactè rationem omnium, in primis autem ſtudiorum profectum ſcitatur, paſſim ad Gymnaſia ſe conferens, paſſim ſtudioſis ad ſe conuocatis, Ru- Erudit ipſe, omnia ritè ordina.

dioribus prima elementa artis Grammaticæ patienter ipſe tradere, Prouectioribus aliquid ad canones Conſcientiæ ſpectans, logicæ quoque, philoſophiæ, ac Theologiæ ſumma capita prælibare, eorumque repetitionibus, ac diſputationibus pręeſſe haud grauatus.

Domi apud ſe alios ſuſtentat.

Clericis autem, ac Sacerdotibus vndique confluentibus ad hanc Academiam litterarum, pietatis, & bonorum morum, ſi quos Collegium non caperet, eos domi apud ſe, ac proprijs impendijs ſuſtentabat; eatenus ex omni parte inſtituens, quatenus ſatis verſatos, ſacriſque miniſteriis probe formatos iudicaret, ac tum ſeruitio Eccleſiarum applicaret.

De aſsiduitate, & ſtudio prædicandi Verbi Dei.

CAP. VI.

NOMEN Epiſcopi officij Paſtoralis index eſt, paſcua Diuini verbi, & ſalubres aquas doctrinæ Chriſtianæ gregi ſuo curantis. Alexander, vti prædiximus, ingenij diuina copia ad hoc munus inſtructus, & longa exercitatione expolitus, quã antea profitebatur concionandi artem, Epiſcopus non neglexit. Nuſquam locorum, nullivè opportunitati parcus beneficium prædicationis ſubtraxit, ingeminans potius, ſi res ferret, binas vno, eodemque die. Solemnis tamen vſus Dominicis, ac feſtis diebus,

Nuſquam beneficium prædicationis ſubtrahit.

bus, in Quadrageſima, in aduentu, & ſub id tempus quo per Bachanalia defluunt homines. Si quando etiam deſignatos concionatores ab officio valetudo prohiberet, Epiſcopus illorum vicem ſupplens in ſuggeſtum promptus conſcendebat.

In matutinali concione Euangelia; in Veſpertina, chariſſimi Pauli Epiſtolas, aut Dauidicos Pſalmos interpretari mos erat. Vnde, quemadmodum & ab alijs ſacris codicibus, atque Sanctorum Patrum monimentis ſolida pietatis, & vitæ Chriſtianæ documenta, argumenta ad ſuadendum, & rei præſenti accomodatas ſententias decerperet.

Mane Euangelia, Veſpere Epiſtolas Pauli, aut pſalmos explicat.

Per exteros iter faciens data occaſione facilis, ac promptus in concionem aſcendebat, præcipuè in Vrbibus Genua, Papia, ac Mediolano, auditore Beatiſſimo Archiepiſcopo Carolo eius ſermonibus licet extemporarijs mirificè oblectato. Porro extemporariæ dicendi fælicitatis illuſtre perinde ac vtile exemplum edidit in arce Baſtitæ: illuc etenim a Campolaureo appellens, ſtatim a Prætore, ac Senioribus rogatus craſtino ſermone populum vt lætificaret, ipſe viæ defatigationem (triginta enim paſſuum millia confecerat) librorumque inopiam primum obiecit. Nihilominus pietatis ſenſu, & illorum deprecationibus victus poſtera die, quæ erat Natalis B. Mariæ Virg. orationem habuit ità feruentem, & diuinam, vt concionem vniuerſam in admirationem, pœnitentiam, & Dei amorem commouerit. Viſus ipſe in Deum rapi, & corda auditorum rapere.

S. Carolus eius ſermonibus mirificè oblectatur.

Dicente de ſuggeſtu Alexandro adeo dẽnſa auſcultantium advolabat turba, vt eam vix caperet ambitus Aedis. Quo mihi planè aſſecutus veritatis laude videtur fabuloſum illum Herculem, qui nexi-

Populorum confluxus.

bus ſuæ orationis tentos auribus homines trahebat. Certè dignitas Epiſcopalis, oris maieſtas, paterna dicentis affectio, copia rerum, facundia, & claritas eloquij, ſecreta quadam vi ad concionem alliciebāt, ſed nunquam ex ſaturatos dimittebant, ſemel enim deguſtata viri eloquentia guſtum irritabat magis quam leniret, vt etiamſi millies orantem audiſſent, millies adhuc audire peroptarent.

Doctrinam exemplis vitæ probat.

Ponderis quoque non mediocris erat ſermocinātis fama illuſtris, ſpectata virtus, & vitæ ſanctiſſimę promulgata opinio. Ipſa enim facies virtutis conſpectui hominum oblata facile animos mouet; ſuadetque quidvis potenter vita cum ſermone concordans. Ex illis erat Alexander, quos cum audias, & videas ijdem ſunt; & qui non a ſcientia, vel ſermone, ſed ab honeſtis actionibus ſe putant conſummatos. Hinc fiebat, vt propitijs auribus omnis eius doctrina exciperetur, & intima a dientium peruadens fructus ederet admirandos.

Sen ep.75.

Prædicationes minimè exangues, aut frigidæ.

Adde quod non exangues, frigidaſvè proferret ratiocinationes, quæ pietatem, aut animum ad pietatis ſtudium dant nullum, cum ipſæ non habeant; ſed doctrina, & ardore ſpiritus confertas, quæ veritate non vanitate paſcendo auditores in pia opera cogerent. Porro nihil vnquam temporis oratori eripuere noſtro conquiſitus verborum delectus, floſculi locutionis, aut peregrinæ dicendi formæ, cui videlicet innata, & ſponte fluens eloquentia plus ſatis erat ad perſuadendum.

Panigarolæ, & S. Caroli præclarè dictum de Alexandro.

Quid hic moror nobiliſſimam palmam proferre, quam huic Enangelico Pręconi duo eius ſęculi pręclariſſima lumina, Franciſcus Panigarola, & Carolus Borromęus detulere? Qui antea nil niſi accerſitum,

tum, & raro artificio elaboratum de ſuggeſtu efferebat. Panigarola, diſertis magis quam ſalubribus vacans, poſtmodum Epiſcopus Eccleſiæ Aſtenſis, inverſo ſtylo, ſalubria diſertis præferens, ea tantum dicendo conſectabatur quæ prodeſſent, & quæ timorem, amoremque Dei in animis auſcultantium ingenerarent, aut alerent: Hunc ergo aliquando cum audiret amicus Confalonerius ex Alexandri ſorore filius, rem nouam obſtupuit, obiecitque cũ
„ admiratiane. Quantum mutatus ab illo? Quam
„ diſſimili ſtylo? Cui ille ingenuè: Id me docuit
„ auunculus tuus Alexãder Aleriæ Epiſcopus. An-
„ tea bubulcum in ſuggeſtu agebam, nunc tanti
„ Paſtoris exemplo, paſtorem agere perdidici. Adie-
„ citque: Nuper mihi ſecum verba facienti Archi-
„ epiſcopus noſter Carolus, in concionandi ſapiẽ-
„ tia nulli inferior, profiteri non erubuit, ſe paſto-
„ rale dicendi genus ab Epiſcopo ipſo Alexandro
„ traxiſſe.

Ardor dicẽdi ſuprà humanum morem.

Præter hæc emicabat in hoc Dei Præcone neſcio quid virtutis ſupra humanum morem, vt ignem non verba ſpirare videretur. Teſtatos habemus inſpectores, qui fateantur hunc Venerabil. Dei Seruum de vi amoris diuini, cuius ipſe magnum incendium fouebat in pectore, vel de mutua inter ſe hominum charitate paulo ardentius diſſerentem, de repente manibus, oculis, totoque vultu in Cęlum animo verò in Deum correpto, inſtar Cherubim aliquandiu conſtitiſſe, cui nimirum præ eiuſdem amoris obruente dulcedine vox, latera, & pene vitæ indicia deficerent. Conteſtatus verò eſt ipſe idem ſe-
„ piſſimè: Iucundiſſimum optatiſſimumque ſibi, ſi
„ animam in ſuggeſtu effunderet, dum vel in vnius

Optat in ſuggeſtu mori, dum vel in vnius animę ſalutem cedat.

ſalutem

„ ſalutem cedat. Alienam ſcilicet appetens impendio ſuæ.

Meditatio, & Oratio ante prædicationem.

Concionaturum anteibant magiſteria ſacræ meditationis, ac precationis, quæ & illuminarent intellectum, & inflammarent affectum; nihilque tale ſine eo præſidio vnquam eſt auſpicatus. Dicebat

Quid ſentiat de Eccleſia abſque Epiſcopi prædicatione.

„ verò: Eccleſiam abſque Epiſcopi prædicatione
„ pratum eſſe non irriguum, ſua ſiccitate ſterile.
„ Item, Epiſcopi prædicationem præire debere ora-
„ tionis facem; orationem verò lectionis lucem,
„ Epiſcopo etenim, aiebat, Hierarchæ non minus
„ quam Angelicis ordinibus iniunctum heret, ſub-
„ ditos a corruptelis, ac vitijs purgare, illuminare
„ cœleſtibus doctrinis, & charitate perficere, quæ
„ ex ſola orationis Schola colliguntur. Inferebat-
„ que, quo pacto iſthæc officia præſtabit alijs, qui
„ ſibi non preſtitit? An non iure obijcietur illi,
„ quod ab Apoſtolo Iudæis, Qui alium doces, te ip-
„ ſum non doces? Hac etiam de cauſa, Principes
„ Concionatorum, & Magiſtros Chriſtianæ Sapiẽ-
„ tię Apoſtolos, ne colligendis, ac diſpertien-
„ dis alimoniis dum detinetur, ab oratione, & mi-
„ niſterio verbi Dei remouerentur, id curę ſeptem
„ Diaconis commiſiſſe, quò ipſi, orationi, & prędi-
„ cationibus ſacris inſiſterent liberius.

Rom. 2.

Alumnos Seminarij exercet in arte concionatoria.

Cum autem ſe ſciret non immortalem, eò ſtudia, conatuſque ſuos intendit, vt e viuis ereptus eius officij hęredes Eccleſię ſuę daret, erecto nempe Seminario, cuius alumnos cum priuatis, tum publicis declamationibus, ſiue eſſent proprij, ſiue alieni ingenij partus, exerceri voluit, exercebatque idem ipſe, vt dicendi conſuetudine iuuenilem timorem, atque erubeſcentiam exuentes, alacriores ad opus concio-

conscionum conſcenderent. Sedulò animaduertit, ne Parochi quos commodè inſtructos cognoſceret, doctrinam verbi Dei ouibus denegarent: minus autem idoneos propter ſcientię, aut ingenij inopiam publica vulgaris Homilię, aut libri ſpiritualis lectione ſilentium compenſare iubebat: eo quidem conſilio, ne ſine vllo ſemine animę ſylueſcerent, aut neglectu culturę euangelicum ſemen marceſceret. Quid Parochis iniūgat.

Cum idonei deeſſent, qui officio prędicandi fungerentur in Inſula, Apoſtolos imitatus, ex alijs nauibus ſocios vt venirent, & adiuuarent aduocabat, monens in extremo diſcrimine rem eſſe: Igitur à Pręſule ſuę Congregationis, alijſque Ordinum Religioſorum Rectoribus crebrò per litteras ſubſidiarios depoſcens, ad viatica largas pecunias profert, eorum monaſteria quibuſcunque poteſt officijs, & donis iuuat, aduenientes benigniſſimè amplectitur, hoſpitatur, & ſua quadra paſcit; interdum quinos, ac ſenos. In ijs Venerabilem Patrem Lupum Capucini inſtituti, & magni nominis oratorem, quem biennio contubernalem, & ſocium laboris habuit. Prę cęteris Ambroſium Rotulum Collegam indiuiduum, Epiſcopio Prępoſitum, Pręfectum Seminarij, Principem Viſitatorum, & à lateribus Epiſcopi ad extremum vſque ſpiritum nunquam diſiunctum. Commendationem ex eo quoque habuit Alexander non mediocrem, quod quantumvis in hac arte, & in omni doctrinę genere pręcelleret, tamen vbi ipſe ſileret à concione, concionantibus ſedulum ſe, & attentum prębebat auditorem, eorum neminem habens deſpicatui, ſed ſuo magis exemplo ad audientiam alios inducens. Aliundè exquirit Concionatores.

Quos

Digitized by Google

Quos autem, & quantos fructus tam aſſidua prędicandi ſolicitudine editos credimus? Singilatim recenſere arenam maris eſt inaniter enumerare. Fortè ſcribenti aliqua ſilentio minimè tegenda obuenient.

Sacramentorum miniſterio Studioſè vacat.

C A P. V I I.

QVAMQVAM tradendis Eccleſię doctrinis valde foret mãcipatus Venerab. Epiſcopus Alexander non minore tamen ſtudio amplectitur, peragitque diuinum opus Sacramentorum ſiue ea ſint, quę gradui Epiſcopali ſpeciatim ſunt alligata, ſiue quę Parochis, ac Sacerdotibus ſunt communia; quibus vtriſque ſpiritus vitę in homine Chriſtiano infunditur, alitur, ac reparatur.

Muneri baptizãdi vacat.

Apoſtolicum munus baptizandi puerulos manu ipſe ſua obijt lętiſſimè, quo recens natos cœleſti citius vita donaret, & in Ouilia Chriſti conſcriberet. Quare nemo erat inter illius Inſulę ruſticanos, qui non optaret, maximique beneficij loco poneret, baptiſmi gratiam infantulis ſuis per Religioſas manus Epiſcopi aduenire, pia interpretatione opinantes, aliquid proſperi auſpicij, meriti, ac proprię virtutis in paruulos transfundi innexum verbis, & contactui illius, quem ſingulari innocentia, vitę Sanctitate,

&

Digitized by Google

& ſpiritu a Deo excultum crederent.

Maiori, eaque ineffabili, dicamne voluntate, an voluptate? Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ miniſterio indulſit, quorum altero, vt aiebat, vulnerati hominis plagæ curantur altero vires animæ redintegrantur. Eoque impenſius indulſit, quod agnoſceret numerum miniſtrorum longè eſſe inferiorem populorum indigentia. Quamobrem vbicunque per Diœceſim cum adminiſtris Barnabitis adeſſe contingeret, ibi a primo mane huic pio officio ſe tradere, liberam ſui copiam Pœnitentibus facere, benignè, amanter ad ſe pertrahere, & ad genua proſtratos ab erratis ſoluere non ceſſabat. Nimium verò de Dei grauibus offenſis, & de Ouium perditione triſtis non antea lacrymis finem dabat, quam facinoroſos in ſcelerum firmiſſimam deteſtationem compuliſſet, & vitæ in melius renouandæ ſubegiſſet. Crebrò imminutas, erroribus permixtas, caſibus reſeruatis innodatas, ac penitus invalidas detexit Confeſſiones, in quibus reſarciendis nullā omiſit ſolertiam, qua ſalus ſubditorum tutò proueheretur.

Plus Sacramenti Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ.

Surgamus iam ad ea, quę Epiſcopali Maieſtati innituntur inſignia Sacramenta, & quantū in ijs operę poſuerit aduertamus. Neglectū toto ſæculo, & ab vſu remotū ea in Eccl. robur confirmationis diligenter reſtituit dies integros liniendis Chiſmate capitibus inſumpſit, ad inacceſſa loca pedes penetrauit, nequis ſenio, infirmitate, aut itineris prolixitate præpeditus tanti Sacramenti fructu careret. Et quoniam exciderat iamdudum hominum illorum memoriæ Confirmationis meritum, & ſuſcipiendæ ritus; idcirco exactiſſima cura egit, vt diuina illius virtus,

Cōfirmationis vſum neglectum reſtituit.

O fructuſ-

fructuſque ſaluberrimi per ante ſe miſſos Præsbyteros, & per aſſiduas Cathecheſes innoteſceret explicarenturque ea, quæ ad huius beneficij dignam ſuſceptionem, atque cuſtodiam attinent.

Diligentia in Ordinibus conferẽdis.

A Paulo monitus, nemini cito manum impoſuit nec obligauit ſacris (ſi primordia Epiſcopalis regiminis excipias cum nonniſi inſcios,& moribus infectos in Diœceſi reperiſſet) indignum, ac deforme, putans, incautè diuinis altaribus admoueri, & ſacra attingere eos, quos vitiorum contagia reprobarent; quocirca attentiſſimè cauit, ne cultui Dei dicarentur; & Eccleſiæ miniſtris aggregarentur homines aliqua mali nominis, aut vitæ nota contaminati: Fuitque tantum eius diſciplinæ obſeruandæ ſtudiũ, vt alienæ fidei non omnia credens, quotquot eſſent Ordinibus ſacris initiandi in cõſpectum ſuum venire ſemper voluerit, inquireretque ipſemet callide, quæcunque hominem Sacerdotali inſtituto dignum conſtituunt, vel dignum repellunt: Natales videlicet, natalium conditiones, indolem, litteraturam, mores, ingenij vires, animi dotes, cui militiæ Eccleſiaſticæ nomen darent, perſeuerandi propoſitum & eiuſmodi alia; idq; tali fælicitate, vt quod ſemel feciſſet, perennitati feciſſet; nã præter id, quod Clericos ſuę Diœceſis ſolo oris aſpectu internoſceret omnes, peculiari libello diſtin cta ſeruabat illorum nomina, cognomina, patriam, ætatem, ſortem, ordines, beneficia, officia, vt nullo alio teſte, vel authore publica miniſteria rite cuique committeret. Ad Subdiaconatum, & Sacerdotium promouendos antea per decem, aut quindecim dies ſpiritualibus meditationibus, pijſque actionibus, inq; omni Eccleſiaſtici muneris diſciplina exercebat idem ipſe: Si

1. tom. 5.

aliò

aliò legitimè diſtractus,Patrum noſtrorum magiſterio ſubmittebat;Inopes per id ſpatij in Palatio Epiſcopali, menſaque domeſtica ſuſtentans. Hiſce diuinis ſubſidijs veterem formam Eccleſiæ ſuæ reddidit, & eo exemplo priſtinam pietatem reliquis; illarum Rectores incunctanter verbo, & ſcripto impellens, ea cauere, quæ Religioni Chriſtianæ detrahunt populoſque a Sacramentorum vſu auocant; ea inducere, quę cultum Dei reparant, & pietati adminicula ſubminiſtrant.

Sedem Epiſcopalem ad Baſtitæ Oppidum transfert.

CAP. VIII.

TALONI, vti iam innuimus, longas moras ducere haud licuit. Templum anguſtius, & muneribus Pōtificijs indecorum: morborum ſeges e rigida, ventoſaque aeris intemperantia, quæ multos de comitatu pepulerat ęgrotos,plures ſtomacho,& quęrelis plenos proximè pulſura; medicamentorum inopia, & rerum omnium, quibus vitam tuemur, difficultas maxima; deprędationes quoque non rarę Turcarum per ea confinia, tabernaculum inde mouere Paſtorem coegerunt. Attamen vbinam tutius, vbi commodius, non apparebat. Prębebat ſe opportunius Oppidum Baſtitę, ſatis amplum, populoſumque, Transſmigrationis Cauſę

Aix Inſulę, Curia Gubernatoris, quondam quoque Curię Aleriensis perfugium, locuples magnificis Eccleſijs, pręſertim Cœnobio Capucinorum, vbi Alexander ſolitarię, ac tenuioris vitę amans deliciarum plurimum ſtatuebat. Diſplicebat tamen, quia Dięceſis non ſuę, ſed Marianenſis, ne de ſuis caſtris transfuga videretur. Verumtamen ſuorum importunitati, & amicorum conſilijs cedens, de collocanda Baſtitę Epiſcopali Sede Pontificem conſulit. Indulſit prompto animo Pontifex, & ibi pro placito Pontificalia fieri permiſit. Placuit non mediocriter Reip. Genuenſis Primatibus, pręcipuè autem Io. Baptiſtę Centurioni Epiſcopo Marianenſi, qui amico omnia hoſpitij, & Pontificalium iura facilis commodauit. At ille quamuis amicè, & honorificè apud omnes Baſtitę degeret, nunquam tamen tranquillus extra ſua Ouilia quicuit, nec vnius anni curriculum; etiamſi Pontificio diplomate liber, potuit ibidem eundo, & redeundo per ſibi ſubdita loca conficere.

Baſtita Oppidum diœceſis Marianenſis.

Eo migrare indulget Pontifex, placet Epiſcopo Marianenſi, & Reip. Genuenſi.

Extrà ſua ouilia tranquillè non quieſcit.

Romam

Romam ad limina Apoſtolorum pergit, & quæ hac occaſione ſanctiſſimè egit.

CAP. IX.

INTEREA Kal. Maij anni 1572. Summus ille, & à paucis ęquiparandus Pontifex Pius V. ad cęleſtem gloriam (vt ſuadent merita) è terris migrat. Indoluit grauiter Alexander non tam benemeriti Patris obitum, quã extinctum Eccleſię Catholicę lumen, & communem populi Chriſtiani parentem. Verum paucis poſt diebus in ſolium Apoſtolicum ſuffecto Cardinali Vgone Boncompagno, cui Gregorij XIII. nomen, ęquiſſimam occaſionem adeundi Romam arripit, vbi ſacratiſſimos cineres, & oſſa Principum Eccleſię, locaq; tam multo ſanguine Martyrum conſecrata pronus veneretur, & ſupremę Poteſtati Eccleſię in terris Dei vices agenti debitam obedientiam, ac reuerentiam ante longa tẽpora non exhibitam coram deferat.

Obitus Pij V. Summi Pontificis.

Electio Gregorij XIII.

Iter Genuam, inde Mediolanum menſe Iunio dirigit; illic magna negocia breui peracturus, hic dilectiſſimos Patres, ac Sodales iterum viſurus, & de rebus hoc biennio geſtis collocuturus. Vias honeſtis actibus, & exemplis ſanctiſſimis potiuſquam longo familię apparatu ſternere parat, munitque

Alexandri iter agentis pia opera.

prece

prece pauperum magis quam pretio pecuniarum, præmonitis pariter per litteras paſtorales Parochis, vt cum populis fauſta, tuta, & ſancta a Deo Optimo Maximo progredienti precentur, & eorum nemo limites timoris Dei prætergrediatur, dum abeſt. Ipſe omni & tempore, & loco idem, exhibere de ſe virtutum documenta ſtudet. Ante nauigij conſcenſum, nautas ſingulos, & in primis vectores adducit, animas peccatis ęgras curare, & ad Altaris menſam „ refici de Epiſcopi manu, aſſerens pondere pecca„ torum exoneratam nauim celerius, ac tutius trāſ„ mittere, & gemini hoſtis inſidias euadere: quem poſtmodū nauigans quoad licuit retinuit morē: execrari diuinum numen, obſcæna proferri, alienæ famę obtrectari nullo pacto ſuſtinuit. Sed ad viæ ſolatiū, & ne in otioſo itinere deeſſet negocium, iucundis ipſe ſalutaribuſque ſermocinationibus ſocios comiter recreabat; Litanijs hincindè decantatis diductaque per Choros in honorem B. Virginis corona, ſilentij nauſeam ſubleuabat; ad communionē quoque ſermonis tacētes prouocans, idque tàm lepidè, & acceptò, vt productiorem viæ tractum deſiderarent vniuerſi. Terra iter faciens ad Cœnobia Religioſa, pręter vllum tamen eorum grauamen, propēſius quam ad patentia cauponum hoſpitia declinabat; exiguas cellulas, & ieiunas menſas Monachorum latis, ac lautis propinquorum, & diuitum amicorum ædibus pręferens, quò expeditior itineri fieret, prolixiuſque orationibus, Sacro faciendo, & diuinis colloquijs vacaret.

Romę benignè exceptus à Pontifice.

In Vrbe Sacra limina Apoſtolorum, ac feretra Sanctorum piè veneratus, ad pedes Sanctiſſimi admittitur. Ille cognitæ virtutis, ſpectatæ ſapientiæ,

& rebus

& rebus geſtis illuſtrem Antiſtitẽ ampliſſimis amoris, honoris, & gratię notis amplexus eſt, faciliſque in eius vota omnia deſcendit. A Pio V. conceſſam penſionem trecentorum aureorum de menſa Epiſcopali in alimenta Seminarij detrahendam, annulo Pontificio obfirmauit, priuilegijs, ac facultatibus multis amplificauit, ſacris cereis, numiſmatibus, Indulgentijs populo diſpertiendis abundè ditauit. proprijs commodis nihil a Pontifice petijt, vel appetijt; Sed auctus donis alieno vſui expetitis celer ſuum ad Ouile regreſſus eſt.

Impetrat obfirmari penſionem ſcut. 300. Seminario ſuſtentando &c.

Non parum proſperi ſucceſſus, & gaudij poſt lõgi itineris moleſtias Seruo Dei fuit exoptatus congreſſus amantiſſimi Cardinalis Caroli Borromæi, & B. Pilippi Nerij conſuetudo recens inita. Debetur autem propoſito noſtro relatio.

Congreſſio cum S. Carolo Borromeo.

Carolus poſt electum Gregorium XIII. Romæ aliquantiſper immoratus, vbi primum Alexandrum chariſſimum Dei conſeruum vidit, incredibile dictu, quam citus obuiam prodierit, quam beneuolenter panſis brachijs collo adſtrinxerit, quam ſuaui labro exoſculatus ſit. Alexander faſtigium purpuræ reueritus, ore dimiſſo, totoque corpore prono, oſculo veſtium, & manuum ſalutanti reſpondit. Extitit profecto inopinata congreſſio Seruorum Dei quaſi noui fœderis nouum vinculum: dumque de obſeruantia, & amore vtrinque certatur, arctiori nodo nectitur vtriuſque Charitas. Eccleſię Alerienſis deplorandum ſtatum, labores, euenta, & omnem ſuæ adminiſtrationis ſeriem Archiepiſcopo enarrat. Is noui Præſulis ſenſa cœleſtia, laborioſas curas, & prudenter, fortiterque geſta admiratur: & vbi mutuis amicitiæ obſequiis ſatis datum eſt abitur, ac ſecun-

ſecundum ſibi datam menſuram donationis Chriſti ad promouendum Dei cultum, ſubditorumque ſalutem, atque ad propriæ perfectionis altiora ſtudia vterque regreditur.

Init amicitiam S.Philippo Nerio. Quæ eius gratia egit.

Iungenda huic beneficio eſt amicitia parta Philippi Nerij, Inſtitutoris Congregationis ab Oratorio dictæ, Viri claritate nominis, luce virtutum, & vitæ ſanctimonia celeberrimi, quem hodie inaugurante Gregorio XV Sanctorum albo inſertum colimus, quemque Alexander fama iam cognitum vitæ ſimilitudine, ſibi in amicitijs hac occaſione iunxit. Facilis enim eſt, ac tenax inter Sanctos animorum coniugatio, potens, prçualidumque auxilium adaugendç virtuti. Philippus ſpectatis in Alexandro diuinis dotibus ſapientiæ, pietatis, integritatis, cœterarumque virtutum, ſtatim in gradum ſingularis beneuolentię accepit. Alexander contra, Religionem, ac Sanctimoniam Philippi perſpiciens, eius gratia, & familiaritate frequens vſus immortalem cum illo contraxit amicitiam; Cuius argumenta extitere quotidiana, & in longas horas ducta colloquia diuinis de rebus, mutua Epiſtolarum commercia, repetitę conciones Alexandri in Oratorijs S. Hieronymi, & S. Ioannis Florentinorum, atque apud Pontificem gratæ de eo. Philippi commendationes, quç à nobis ſcribendç ſuo loco referentur.

In

In Balanea habitat, & quæ ibi præclare gerit.

CAP. X.

ROMA decedens Baſtitam alacrior redit ad opus; Synodalia comitia colligit, nouaque, & rebus pręſentibus opportuna ſtatuta condit. Verum iniquè ferens a gregibus ſuis ſe longius auelli, & per alienos agros extorrem vagari aſſiduè in propria Ouilia ſuſpirans, tentoria intra fines ſuæ ditionis firmanda cenſet. Secutus autem peritos Imperatores, qui vbi hoſtium partes validiores aduertunt, illuc ſuas quoque copias mouent, in Prouincia Balanea caſtrametari parat, vbi quò ſoli amænitate, & vbertate pinguior, eò vitiorum fertilior ager erat.

Seminarium Algarolæ in Prouincia Balanea erigit profanos ritus indè tollit.

Inijciamus & huc ſtylum noſtrum, & quæ ibi magnificè præſtitit, compendio perſtringamus. Algaiolæ, quæ Prouinciæ Balaneenſis Oppidulum eſt, erexit nouum pro illius regionis Clericis Seminarium, conducta domo, quam in honeſtiorem, ac commodiorem formam ære ſuo dilatauit; mox operi inſiſtens, reparauit diuinum Cultum, inſtaurauit templa, emundauit ſacra, profanos, & corruptos ſuſtulit mores.

Sponſalia infantium nondum natorum abolet.

Præficas ejicit ab Eccleſia.

Quod vt per capita referatur, ſic habe. Pernicio-

P ſam

ſam conſuetudinem deſponſandi infantes adhuc maternis in viſceribus latitantes aboleuit. Funera mortuorum lamentantes more præficarum, eiulantes capita, aut mentum depilantes, dum ad cadauera, non rem Chriſtianam Religiosè, ſed profanam a Mauris, ac Saracenis acceptam ridiculè faciunt, ſacrique myſterii ritum perturbant, de feretris, ac de Eccleſiæ ambitu procul abigi iuſſit ſiue ij ſint viri, ſeu mulieres, niſi ora, manuſque comprimant. Religionem ſinceram reſtituit; ſublatis ſuperſtitionibus diuturno licet vſu firmatis. Magarum contaminatas artes, dæmonum præſtigia pluribus locis corripuit, detruſitque veneficiorum reos Sacræ Inquiſitionis tribunali plectendos ſiſtens. Vix enim apud quempiam de his peſtiferis monſtris emendationis locum, non adhibito ſupplicio, inuenias.

Hæreticum eierare publicè perfidiam cogit.

Quo ſpiritu putamus Catholicam fidem, ac doctrinam propugnaſſe? Furtiuè in ea loca irrepſerat alienigena quiſpiam, perinquinatus hæreſi, ignaram gentem malis ſtudijs, prauiſque doctrinis a recta Religione auertens. Rem peſſimam, & plenam fraudis, ſubodoratus Epiſcopus ſagax, cui nil attentioris curæ, quam illibatam Catholicæ fidei veritatem tueri, nil æquè cordi, ac lupos ab Ouili prohibere, ſtatim in vincula coniectum ad ſanam mentem reducere contendit, irrefragabili robore argumentorum conuincit, redarguit, damnatque. Ad extremum prçteritæ perfidiæ pœnitentem errores execrari, abiurare, violatçque Religionis crimen expiare compulit, inſpectante, & auſcultante populo, quem e vicinis locis conuocauerat aſſidentibus alijs quoque Religioſis S. Inquiſitionis Iudicibus; ac Miniſtris. Ad hoc vt actioni authoritas, & po-

pulo

pulo exemplum accederet illuſtrius, dies feſtus delectus eſt, & prçcone enunciante errorum ſeriem, Epiſcopus Pontificijs ornamentis conſpicuus & Pedum manu regens ad quodlibet erroris caput erectus in pedes, hominem cum Sectatoribus mendacij, & hæreſis reum confutabat, confodiebatque telis Sacræ Scripturæ, & Conciliorum, doctrinis Sanctorum, & Orthodoxorum patrum, necnon validiſſimis ratiocinationibus; egitque tanto ardore diuinus Magiſter, vt per totam illam diſſertationem; tam multis membris in prolixum tractam, terrorem non mediocrem in audientium animos incuſſerit, & Præſulis oculis obortę lacrymè lacrymas quoque auditorum prouocarint.

Alterum in quo maximoperè habuit inſudandum fuit irarum placatio, & cura Ciuilis tranquillitatis, nihil eorum prætermittendo quæ conciliandis animis conducerent, non preces, non vigilias, non itinerum fatigationes. Monuit, orauit, obteſtatus eſt, minatus iras cœleſtes; in duellorum loca properans, exclamat recondi ſine ſanguine enſes, plantas properantium in certamen conſtringit, antè procinctos ad pugnam metu ipſe vacuus in genua ſe abijcit in ſeipſum ferri vindictam rogans, quò iratos ab impetu, a conflictu compeſcat. Ceſſitque res ſæpe, ac ſæpius ex ſententia. Etenim cruenti illi homicidæ deuicti tandem Viri Dei precibus, benignitate, lacrymis, & mira illa animi magnitudine, totis ſenſibus capti, arma, odia, rixamque omnem ſæpius depoſuere datis dexteris fœdera pacis ſponte percuſſere. Ita paulatim ſublatæ inimicitiæ, diminutæ factiones peruetuſtæ, & inducta priuatis cum amicitijs tranquillitas publica.

Rixas, & bella miris modis ſedàt.

Deferri haſtas in templa vetat.

Ferociſſimæ præterea gentis animos emollire, & loci ſanctitatem tueri cupiens, ne haſtæ, & cuiuſvis generis armamenta in Eccleſias inueherentur, penitus interdixit. Ea enim erat Balaneenſium ferocitas, vt pro vlciſcenda leuiore iniuria, ipſa inter Sacra inimico vim inferre, minimè vererentur, nec aras ipſas, ac pauimenta humano cruore polluere. Erant idcirco inſtar caſtrorum templa; plebs non orantium Chriſtianorum, ſed haſtatæ militiæ ſpecimen. Quam gladiatorum immanitatem hortationibus, minis, priuatis monitionibus, publiciſque edictis, in ſua primum Diœceſi, tum in tota pene inſula magna ex parte extinxit: Præſuiis benigniſſimis, ſanctiſſimiſque dictis paſſim acquieſcente populo.

Ferunt autem illius regionis incolæ, tot pietatis, & charitatis præbita documenta non caruiſſe cœleſti remuneratione, nam præter ſedata odia, & placatas rixas diuina virtute ægrotos morbo leuaſſe illum aſſerunt. In ijs inducunt Ioannem Baptiſtam Montium Alexandro a Cæremonijs, poſtmodum Summi Pontificis Cruciferum vehementi febre æſtuantem, & animam ferè anhelantem, tangente frontem Epiſcopo; & pro illius ſalute orante, moleſtia morbi ſolutum: Micas quoque aſſerunt panis de eius menſa a Sacerdotibus, & ficus a populo ſublatas varijs morbis ſoſpitales extitiſſe.

Io. Baptiſta Montius ſoluitur à morbi moleſtia precibus Alexandri.

✝

Romam

Romam ſecundò pergit. Coram Summo Pontifice concionatur. Rediens procellam ſedat.

CAP. XI.

INEVNTE anno 1575. qui Chriſtiani Iubilęi recurſus erat, vniuerſaliſque Amniſtiæ, ſecundam profectionem in Romanam Curiam molitur, vtque ad ſanctam peregrinatiouem oues prouocet, pręit exẽplo Paſtor: monitiſq; prius per litteras paſtorales Parochis, vt ab Ouilibus diſceſſuri idoneos ſubcuſtodes vice ſua prouideant, ipſe ſuo cũ comitatu pelago creditur. Tota Epiſcopo annona paucæ haleculæ, & nonnihil olei, reiecto omni amplius obſonij genere, vtpotè cui gratius erat pabulum orationum, ac piarum meditationum, quam eſca corruptibilis; eodem propè modo, quo de eius nauigandi more alias prolocuti ſumus. *Euntis ad vrbem apparatus.*

Romæ ſalutatis liminibus Apoſtolorum, & rebus Eccleſię ſuę coram Pontifice Gregorio expoſitis, dum ea complet, per quæ pœnitentibus crimina, criminumque ſupplicia relaxantur, priſtinum concionandi ritum reſumit in Oratorio B. Philippi Nerij ad Sancti Ioannis quæ ſunt Florentinæ nationis ædes, binos, ac ternos ſermones per hebdomadam repetens, eo applauſu, & laude vt vna omnium *Concionatur in Oratorio Florentinorum.*

voce

voce inter Principes Concionatorum adſcriberetur.

Idipsũ coram Pontifice, & amplisſimu comitatu ad S Laurentiũ extrá mucros.

Per id temporis fortè fortuna contigit, vt feria quinta poſt Dominicam ſexageſimæ Summum Pontificem Gregorium pro eximia pietate Sacras Vrbis Baſilicas obeuntem vna cum multis Cardinalibus, copioſoque Antiſtitum, & Aulicorum numero Alexander noſter comitaretur. Cum autem ad ędem S. Laurentij extra muros peruentum eſſet, in eam nobilem piorum hominum ſodalitatem inciderunt, quam Philippus Nerius eiuſdem ſodalitij inſtitutor ductabat ad implorandam populo Chriſtiano diuinam clementiam. Ibi cum pauliſper ſubſtitiſſent omnes, Pontifex cupiens tam ingenti, ac pręclaro cętui verba fieri ad excitandum pietatis ſpiritum, id Philippo ſignificauit; propoſuit ille Alexandrum ſibi probe notum, & ad eam rem aptiſſim m. Approbauit libens Gregorius, innuitque Alexandro, habeat ad comites accomodatam rei cōciunculam. Is verò pro ſua modeſtia, quoad liceret, ſeſe ſubducere, cauſari minimè ad id ſe idoneum, minimè procinctum, ſed & adhuc de via languente m: Omnis inſtar concionis benedictionem Beatitudinis ſuę fore ad populi ſalutarem conſolationem. Verum vrgentis Pontificis iuſſa fecit, ſermonem habuit ex tempore tam luculentum, tantaque ſpiritus virtute aduerſus hominum flagitia, vt vix quiſpiam a lacrymis temperaret, & Gregorius ipſe, cœterique omnes charitatis feruore incenſi modeſtiam Viri Dei, pietatem, atque doctrinam admirantes collaudauerit.

Suggerentes curandam commodiorem Eccleſiã minimè audit.

Inter hæc non defuere ex cognatis, & amicis qui Alexandro apud Pontificem iã valde gratioſo ſuggererent, curaret ad ditiorem, & commodiorem Eccleſiam

cleſiam traduci. Fauebant deſiderio, Gregorij beneuolentia, Alexandri merita, amicorum potentia, Eccleſiæ quoque Alerienſis moleſtiſſima negocia. Verumtamen in illud diuortium adduci nunquam potuit humilis Dei Seruus, obiectans, id conſilij diuinę prouidentię relinquendum. Nolle ſe Eccleſia illa, quam ſibi vti primam ſponſam Sanctiſſimus Pius V. diuino nutu commiſiſſet, licet ſummme laborioſa ſponte abdicare, quò ditiorem, & magè ſpecioſam adeat: niſi iſtud Deo magis placere per liberum Pontificis arbitrium ſibi conſtaret. Namq;
„ Epiſcopatum, aiebat ille, neque vltro ipſe adiui,
„ neque vltro dimittam: in Corſicam coactus veni,
„ nonniſi coactus abibo. Alienis ſubſum votis,
„ aliena ſequar imperia. Sollicitiorem enimvero ſe prębuit in requirendis ijs, quæ gregi ſuo conferrent, impetrauitque nullo negocio multa, licet poſtea propter recentes obices re infecta; dolente quidem Alexandro, ſed tamen conſilijs arcanis Dei acquieſcente. Denique aduentante Maio in Corſicam remeauit.

Ingentis procellæ propè Elbam ſedatio.

Offertur nobis hoc loco admirandę in Alexandro virtutis materies. Etenim e portu Ripę ad Elbam tranſmittentes exorta de repente procella intercipit; obductoque vndecunque nubibus cœlo, pręcipitante grandine teterrima frementibus vndis inter ventorum, fluctuumque turbines periclitabatur nauigium. Horridam tempeſtatem circumſpicientes nautas, de ſalute, ne dicam de proximo naufragio maximus inceſſit timor. Pręcœteris Cęſar Ferus Rector Seminarij impendenti exterritur malo, Heu nos (inquit) ſub vndis morimur, naufragi perimus omnes. Tremebundo ſpem, animumque

fidenti

fidenti ſermone cum reddidiſſet Epiſcopus, ac patrocinium diuinum perſuaſiſſet, Sis ergo tu, ſubdit illæſis tu obſecro deprecator ſalutis noſtræ, placa tuis precibus diuinam iracundiam, mariſque tumorem. Tum verò ſublatis Epiſcopus in Cælum oculis, breuibus orans, & aduerſus ferueſcentes vndas ſignum crucis efformans, ſoluite, ait, ſoluite timore animas, aderit naufragantibus Deus. Mirum dictu extemplò iubente Deo miteſcere freta, quieſcere procella, mari tranquillo ſerenari omnia. Quarè tutò, & rectè in Corſicam perducti acceptam a prece Præſulis ſalutem non ſolum retulere omnes, ſed publico, magnificoque teſtimonio poſteris tradidere.

Graui Infirmitate ſanatus, Iubilæum cum ſuis celebrat.

CAP. XII.

Patienter grauem tolerat ægritudinem.

AD littora Corſicæ deſcendentem excipiunt nouæ ægritudinis moleſtiæ, partim ex itinerum incommodis, partim a nunquam interruptis curis procreatæ, quibus nonnihil cauſæ addidere familiæ morbi multiplices, Patrum abſceſſio ad recuperandam valetudinem, obitus Cancellarij Curiæ abſentia quoque Vicarij Generalis in grauia opera aliò vocati. Porro intra Balanea fines delatus, illic corripitur

acri

acri dolore ſtomachi omnia nauſeantis, ex profluuio noxij humoris de capite, tum exuritur febris malignæ exceſſibus repetitis. Nec ideo concidit animo æger, verum maiore in Deum fiducia mala omnia perfert, donec viribus planè proſtratis de vitæ diſcrimine à ſuis admonetur. Nouitas nuncij inuictam mentem non quatit, triſtitia vultum non corrumpit, neque de ſua baſi excuſſa eſt viri fortitudo: Interim quidem ad extrema ſe non inuitus parat. Verum qui ſuos in aduerſis conſolatur Deus, affuit afflicto, recreauitque benigno aduentu Cæſaris Contardi Sagonenſis Epiſcopi, ac Ioannis Baptiſtæ Centurionis Præſulis Marianenſis, quorum alter Sacroſancta Eccleſiæ Sacramenta iacenti defert, alter grato aſpectu, & colloquio leuat dolore. Sed & paulatim remittens febris ſub finem anni penitus euaneſcit. Itaque morbo iam liber, ad conquirendas, confirmandaſque tum animi, tum corporis vires Mediolanum ineunte Ianuario, permiſſu Summi Pontificis ſe confert, optatiſſimo Caroli Borromæi conſortio, necnon delicijs Religioſis potiturus chariſſimæ Matris: (hoc enim titulo Congregationem ſuam toto vitæ curſu inſigniuit) æſtimans fore, vt gremium illius repetens, vnde iunior vitam traxerat, inde vegetam mentis, & corporis firmitatem poſſet exugere, & viribus integratis ad conſuetos labores robuſtior, atque hilarior reuerti.

Parat ſe ad extrema.

Infirmitate liber Mediolanum tendit ad S. Carol. & ad ſuos Patres.

Initio veris ad Ouilia redijt; ijs etiam, quibus Romam adire non fuit liberum, confeſtim Iubilæi fructus impertiri. Quamobrem Dominica tertia

Reuerſus Iubilæum cum ſuis celebrat.

Quadrageſimę promulgato diplomate Pontificio , priuatoque edicto populum ad ſpirituales quęſtus ardentiſſima concione inflammauit , cum Apoſtolo docens adeſſe nunc tempus acceptabile , aduenisſe dies ſalutis , & annum effuſæ clementiæ , quo omnibus indulgetur cęleſtes theſauros audacter adire , & frui . Exinde indictis ieiunijs , alijſque de more deprecationum ritibus Iubilæo initium fecit publica ſupplicatione . Euolue Lector priſcos Annales , ſi quid vnquam huic ſimile , & placando Deo dignius repereris . Ibat Antiſtes cum Clero aſpera , ſaxoſa, & montuoſa via, medius inter duos notæ Religionis Capuccinos , ſacco ſuperindutus , fune , ſeu maius capiſtro ad collum alligato , denudatis plantis , grandem efferens Crucem , luminibus in Chriſtum ſemper defixis , & lacrymis tota via copioſiſſimè perfuſus ; quaſi in populi expiationem ad Altare immolanda ipſe victima duceretur ; prope inſequente ſimili veſtitu , nudiſque pedibus ſua familia . Nouum ſanè , & hactenus inuſitatum ſpectaculum authore Alexandro datum ; quod nonniſi paulo poſt Carolus Archiepiſcopus eſt æmulatus , cum epidimia vrbem , & agrum Mediolanenſem deuaſtante , iuſtam Dei excandeſcentiam mitigaret . Stetit ad ruralem Eccleſiam ſupplicatio , vbi Præſulem poſt aliquantulam mentis orationem , dę ſuggeſtu , & in eodem habitu , ſed vocis tonitru fœditatem peccatorum , vim cæleſtium irarum, & paternam Dei miſericordiam in reſipiſcentes ſubiectante auditorum oculis , ad facinora anteactæ vitæ deflenda , melioremque vouendam frugem adacti ſunt omnes ; non paucis

etiam

2. Cor. 6.

Nouum pietatis exemplum.

Digitized by Google

etiam ad iniurias propalam donandas, ablegatiſque odijs ad ſeſe inuicem eodem ipſo loco amplexandos, tanta fuit ſermocinantis, & boni exempli efficacitas. Expleto autem ſermone feſſus, multo ſudore madidus, plantiſque tumentibus, vlceratis, & vndique cruentis ad eam, vnde digreſſus fuerat, Eccleſiam vnà cum populo digreſſus eſt. Tam pium, & inſigne opus ſubinde alijs per totos dies Iubilęi cumulans, deſtinatas Eccleſias ſæpius cum domeſticis, ſæpius cum Clericis Seminarij luſtrat, hymnos, ac pſalmos incedendo recitat, orandi moras prorogat, pauperes opulentiori munificentia fouet, rure confluentibus hoſpitium cum menſa præbet, pedes etjam inuitis lauat. An non talibus Religionis, & humanitatis officijs Deum offenſarum oblitum credamus? regionemque illam, vt Chriſtianæ viueret luculentiſſimè perdoctam? **Charitatis opera.**

*

IESVS, MARIA, IOSEPH.

Digitized by Google

Ad Curtem Plebis Talcini migrat.

CAP. XIII.

ALGAIOLA Balaneæ iacens in ora extrema Diœceſis Alerienſis longinquitate ſua, quaſi nubem interponebat, ne Solis iſtius radij ad alias quoque partes facile pertingerent: morborum autem frequentia Epiſcopum, eiuſque Collegas ab incæptis deſiſtere, & in extraneorum curam omnia referre compellebat. Tunc affulſit fœliciori præſidio Plebis Talcini non contemnendum Oppidum, Curtis nomine, Diœceſeos vmbilicus, & ſi tranſverſum attendas, totius centrum Inſulæ. Illuc ergo cum comitibus migrat Alexander, vnde propior acceſſus ad Inſulæ Gubernatorem, & ad maritima commercia pro rerum neceſſitate. Ibi contemplatus locum habitationi Epiſcoporum, ſaltem temporariæ, non incongruum, comparato fundo, domum ſatis amplam ære ſuo, à fundamentis extruxit, ornauit, & ſucceſſoribus Epiſcopis vti propriam reliquit: quas enim Talloni, quas Algaiolæ habuit commodatas, à ſe tamen in meliorem, & ampliorem formam redactas, ad Dominos ex condicto reuolutæ ſunt.

Domum alteram Epiſcopalem in Oppido Curte conſtruit.

Quam multa eo loco paſtoralis officij, & charitatis exempla poſteris imitanda dederit, ſuperſedemus ſcribere, in commodiorem narrationem tranſmittentes.

Totus eſt in Cricium pacificatione.

mittentes. Cum enim in contrarias, eaſque prævalidas partes diuiſi eſſent incolæ loci, cum tota vicinia, flagrabant omnia odijs inteſtinis, diſſidijs immortalibus, quotidianis conflictibus, Alexander vela ſuę charitatis expandens quaſi aſperatum mare placans Fauonius, in ſerenam, placidamque pacem commutauit bellorum aſperitatem.

Hoc itidem loco invicta animi conſtantia tutatus authoritatem Eccleſiaſticam, hominem dignitati, immunitatique Eccleſiaſticę infeſtum, eiuſdem Eccleſiæ iugo ſubmittere collum compulit. Namque de violato iure Eccleſiaſtico, ac de reparanda iniuria aliquoties præmonitum, ſemper autem reluctantem, anathemate demum petens ab Eccleſiæ communione ſeiunxit. Pertinax ille nec aurem propterea, nec mentem inflexſt. Verumtamen conſcientia facti, & pœnę formidine tandem expergeſcens, Antiſtitis quoq; reuerens integritatem, & famam ſanctimoniæ, vltro ad ipſius genua prouoluitur, veniam implorat, & reconciliationem cum Eccleſia, pollicitus emendationem, & illatę iniuriæ ſatisfactionem. Paſtor Ouem redeuntem collegit benignè. Tum ex libertate, authoritateq; Epiſcopali redarguit offenſæ, obſtinationis, & publici offendiculi: ac demum impoſita ex ritu Eccleſiaſtico pœna vinculo ſoluit inobedientiæ, & Eccleſiæ communioni reſtituit.

Aſſertor iuris Eccleſiaſtici.

Ceruione

Ceruione Campilaurei Sedem ſtatuit, Cathedralem Eccleſiam, Ædes Epiſcopales, & hoſpitia varia exædificat.

CAP. XIV.

DIVINO conſilio factum credimus, quod Venerab. Serui Dei hucvſque ſatis accommodata Sedes nulla extiterit in Diœceſi, ſed huc illuc per varias vices peregrinandum, proculdubio, vt aliò, atque aliò excurrens, inſtar Medici, cui publica ſalus propoſita, cuilibet membro præſens incolumitatem deferret: Nam ſi Alerienſem Eccleſiam attentè ſpectes, non multum à tabido, ac vlceroſo corpore differre comperies, cui dum vna parte corradis ſaniem, effluit altera. Iam verò cum per annos octo ſuæ curationis illam cerneret de vetuſtis infirmitatibus magna ex parte conualeſcere, loco certo, perpetuoque ponendam duxit, poſuitque ſtabilem Ceruione, ſibi, & futuris Epiſcopis Aleriæ Sedem anno 1578. ex aſſenſu Pontificio. Eſt Ceruio vicus Plebis Campilaurei non procul a Thirreno Mari, duodeviginti millibus paſſuum ab Aleria, Cœnobio Franciſcanorum ſeuerioris diſciplinæ conſpicuus.

Ceruio Vicus plebis Cāpilaurei.

Aedificia Ceruioni poſita.

Hic Cathedralem Eccleſiam a fundamentis excitauit,

Digitized by Google

citauit, & ad faſtigium vſque perduxit ære ſuo, ciuibus in eius gratiam manum præbentibus. Hic ędem Epiſcopalem, Oratoriumq; Palatinum magno ſumptu extruxit, ornauitque hortis amænis, ſucceſſorum magis quam ſuæ ipſius oblectationi. Hic Seminario Clericorum ędificium ſtatuit, Canonicos in domicilia ære ſuo extructa adunauit, ditauitque abundè de Epiſcopi prouentibus, in id Romano conſentiente Pontifice. Peregrinorum, & Aduenarum hoſpitio partem propriæ domus, & dedit, & inſtruxit.

Quodque magis rarum inter homines, & Alexādri gloriam amplificat, nulla id laudis, aut humani præmii cupiditate: Nuſquam voluit ſiue in portis, ſiue in parietibus, aut alia quauis ædificiorum parte, Symbola ſua natalitia, ſeu inſignia Sauliorum apponi, grauiterque corripuit eum, qui quodam loco, ſe inſcio, ac abnuente ea affixerat. optans Templa Deo, Seruiſque Dei hoſpitia, non ſibi magnum nomen ſtatuere inter mortales; modeſtiæ profecto in poſterorum imitationem trahendæ clariſſimum ſpecimen.

Nuſquam patitur affigi inſignia gentilitia.

Decennalem moram duxit Ceruione, pluraque patrauit narratione digniſſima, ſed opportunius alibi memoranda.

Tertium

Tertium iter ad Vrbem meditatus ſiſtitur, vt extremis pauperum anguſtijs proſpiciat.

CAP. XX.

INVISENDAM tertio Romam, & coram Pontifice renouandum obedientiæ tributum admonebat annus decurrens 1579. Eam profectionem ſuſcepit non inuitus, vnde tot à Pontifice beneficia, à loci ſanctitate plurimam referre ſoleret ſanctitatem. Verum cum Mediolanum perueniſſet, intellexiſſetque inibi, inſulam grauiter premi annonę caritate ex anni ſuperioris ſterilitate, ſubijt in mentem Optimo Patri, pręſtare egeſtati filiorum (hoc nomine, & loco honeſtabat pauperes) quam commeatibus pecunias impendi. Sed iudicio diffuſus ſuo ad oraculum Archiepiſcopo Borromęi pergit, vnde ambiguitatem ex animo tolleret, progredi promptus, aut regredi, proconſulentis arbitrio; quamvis iam tunc ex propria ſententia opinaretur ſubtractam de viatico ſummam ſubſidijs pauperum fore melius attribntam. Commendauit Archiepiſcopus prouidi Patris familias charitatem, fecitque pluris enutriri egenos quam ad Vrbem iter. cui poſſet

Pauperes pro filij habet.

Ex conſilio S. Caroli ad curam redit egeontum.

Digitized by Google

ſet per oratorem ſuppleri. Dicto audit Alexander, Procuratorem ad Pontificem delegat, Genuam petit, ibique reſiduę ex viatico pecunię nouam ab amicis, & propinquis coacervans, venditis etiam ſarcinis, quas ad iter conficiendum ſecum deferebat, magnos cumulos tritici, leguminum, ſalis, & huiuſmodi cibariorum comparat, nauique impoſita omnia prȩmittit in Corſicam. De Epiſcopo propter Deum, & Eccleſiam ſuam factus Inſtitor ille, qui de longè nauigio portat panem domeſticis ſuis.

Nauim Cibarijs onuſtam præmittit.

Prou. 31

Nauim tamen prȩcurrit Alexander, & iam fame languentes alios, alios pereuntes reperit incolas, quippe quibus pro pane forent glandes, pro pulmentario vinacea, pro obſonio pratenſes radices.

Quingentos, ac ſexcētos inopes alit.

Illico prodigus Ioſephus horrea expandit ſua, quicquid domi reliquum eſt tritici, aut leguminis in alimenta pauperum diſpergit, paratus prius horrea ipſa ad vltimum vſque granulum excutere, quam illos inedia ſinat confici.

Appellente naui largè famelicis ſubuenit, quingentos quotidie, ſępè ſexcentos alens copiosè.

✠

Quomodo ſe geſſerit in graui peſtilentia.

CAP. XVI.

Peſtilentia irrepit in Corſicā an. 1580.

PENVRIAM cibi a tergo inſecuta eſt ſæuior peſtilentia, quæ Italiam, ac omnem fermè Europã anno ipſo 1580. depopulata, inter fluctus quoque maris ſibi viam inuenit; inſulas aquis circumfuſas inuadens; vento exitioſo ſimilis, qui per omnem aeris regionem virus afflat ſuum. Igitur effractis repagulis, eluſiſque excubijs omnibus, quas publicæ incolumitati Magiſtratus erexerant, per Nibij ſinum lues peſtifera in Corſicam irrepens, pedetentim angulis Aleriæ venenum intulit. Erat tunc Alexandro ſoluendum Genuam, ad grauia Reip. negocia: At vbi læthalis incendij flammam ſua iam Ouilia attingentem comperit, retro iter, pedeſque retulit citiſſimus, vt curæ inſiſteret animorum, corporumque pecoris ſui: Ratus mercenarij, non Paſtoris crimen, oues pręſenti ope fraudare, vbi maximè res exigit Paſtoris vitam immolari.

Peccata malorum ſemina. Preces antidotum.

Vltionem læſę iuſtitię Dei flagella, fulminaque arripientis intellexit Venerabilis Dei Seruus, non ignorans humana flagitia malorum omnium eſſe ſemina; illorumque fomentum, continuam peccandi peruicaciam; non eum tamen præteribat cœleſtes

iras

Digitized by Google

iras facile in miſericordiam, & gratiã deflecti, orationum ſupplici lenimento, & ſincera ex animo pænitentia, quibus indignati numinis dexteræ tela eripiuntur. Quare diuinæ offenſæ acerbitatem vt in mitius inclinaret, ſupra conſuetudinem ſolitudini, orationum inſtantiæ, & corporis afflictationibus primus ſe dedit Epiſcopus. Tum coactò ad Dominicum populo de ſuggeſtu inuectus acerrimè in mortalium flagitia, ibi eſſe extinguenda mala oſtendit, vnde nata ſunt, per voluntarias nempe caſtigationes, per morum correctionem, per abſolutam deteſtationem criminum, quæ homini peſtilentiora ſunt quam peſtis ipſa. Exinde triduani ieiunij pæne plebem omnem ſubiecit ea hebdomada, & tergeminæ ſupplicationi: mæſtitiam ſupplicantium luctu compleuit triſtior aſpectus Epiſcopi incedẽtis atrata veſte, oblonga, ſo um ipſum terente, & caput, ac frontem obtegente, eleuata inter eius l r i-chia Cruce præexcelſa, oculiſque in effigiem Chriſti pendentis continuo fixis. Conciones ſupplicationibus adiunxit, cuique ſuam. In prima populum cum Iona exterrefaciens clamabat: *Conuertatur vir a via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur a furore iræ ſuæ, & non peribimus?* In altera paulo mitius agens adduxit in thema quod aiebat Iſaias: *Percuſſit Dominus Egiptum plaga, & ſanabit eam, & reuertentur ad Dominum, & placabitur eis, & ſanabit eos.* Poſtrema fiduciam inducens Apoſtolica vſus eſt hortatione: *Adeamus*, inquiens, *cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno.* Dũ hæc diceret non loqui, ſed

Dominicum ieiunia, ſupplicationes indicit.

Supplicationibus idem intereſt.

Terret concionibus.

Ion. 3.

Iſa. 19.

Hebr. 4.

tonare,nō verba edere,ſed fulgura videbatur;ab audientibus interea profundos gemitus, vberes fletus, & viuas dolentiū, atque emendationem ſpondentiū notas elicientia. Sermonis epilogo, ad mutua pietatis, & charitatis ſolatia omnes adhortatus, ne id incautè, & imprudenter faciant præmonuit. Ad extremum Litanijs, ac precibus a Populo,& Sacerdotibus vacatum eſt Antiſtite cernuo ad humum vſque ſemper hęrente, in formam ingementis, & cœleſtem miſericordiam ſuppliciter implorantis compoſito. Reliquum hebdomadæ conceſſit expiationi pœnitentium, & redeuntem Dominicã diem ſacræ ſynaxi. Demum aduocatis e vicinia Parochis, vt pari charitate, diligentia, cautione erga ſuas oues ſe gerant, coram præcepit; remotioribus autem per litteras paſtorales.

Inualeſcente nihilominus, & pene totam Diœceſim deuaſtante funeſta lue contagij quid pro Ouium ſalute effecerit vigilantiſſimus Paſtor breuibus inquiramus. Aemulatus filij ſui ſpiritualis Caroli charitatem, ac magnanimitatem, officijs quibuſcunque potuit calamitoſos caſus ſubleuauit indefeſſus, prece,Sacramentorum largitione, pecunijs, cibarijs, pharmacis, amuletis, & ſi quid aliud eſſet ad animæ, corporiſve ſalutem vtile]: quamuis autem ne quid ægrotantibus deeſſet, ſuos cuique operi præfectos, ac Miniſtros deſignaſſet, ipſe tamē aſſeclis Barnabitis nulla non die de Epiſcopio tum mane,tum ſerò in vicos,& per Ciuium domos prodiens, ęgrotos inuiſere, afflictis ſolamen, meticuloſis animum,miniſtris audaciam, benè valentibus fiduciam addere, Sacramenta vbi opus eſſet manu ſua porrigere gauiſus; in id maximè ſtudens nequis abſque

Omni re ſubleuat ægros, & calamitoſos.

Sacramenta miniſtrat manu ſua.

abſq;Sacramentorũ beneficio decederet. Verũtamẽ inter hæc omnia quam diligentiſſimè ſemper cauit a quocunque rerum contactu, ijs exceptis, quæ Sacramenti adminiſtrationi penitus inſeruirent, ne quando, vel ipſe, vel ſui læderentur contagio. Saluberrimum etiam duxit illa parare antidota, quæ poſſent morbi labem auertere,puta ſpongiam aceto madidam, & aromatica antipharmaca, præter quæ non alia adhibuit. Cautè tamẽ

Orandi Dei curam egit aſſiduam, ſupplicationũ vſum in ſextam quamque feriam prorogari iuſſit, capite duntaxat vno de familia quacunque conueniente, mulieribus, ac pueris domi recluſis, & viris inter procedendum interuallo ab inuicem ſeiunctis, quò ſublata turba, reliqui a Contagij propagatione aſſeruarentur. Habendarum precum formulas compoſuit, in ordinem redegit, & vicatim perpagos diſtribuit, monens pro cuiuſque commodo, ſignãte campana, recitari domi, in Eccleſijs, oriente, vel occidente ſole, hora diuinorum officiorum tertia, nona, veſperarum, aut hora capiundi ſomni. Prorogat preces, & ſupplicationes.

Amicorum quidam benè (vt putabant) Præſuli conſulentes,ſeceſſum a tot periculis, & fugam a lue mortifera ſuadebant; ſat ſibi res dirigere, quas alij exequerentur; Alioquin Paſtore percuſſo diſpergendas fore oues, omni duce, omnique ope cariturras: Alexander bonæ amicorum menti benignè arridens, flocci fecit conſilium; ſalutem enim Paſtoris aiebat diuinæ prouidentię incumbere,ſubijciẽs. Suadentes ſeceſſum ne-quaquam auſcultat.

» Ego, prę́ſcripta cœli ſequar, ſi peſte emori contingat moriamur;magis idoneos paſtores ſuſcitabit Deus. Quandiu in viuis ago, debeo alijs id exemplum. Igitur tantum abfuit,vt a quotidiano Optimi Epiſcopi charitas, & conſtantia.

Ciuium

In pagos, & caſtella propagat charitatem.

Ciuium ſubſidio cederet, quin ad exteros vſuram ſuę charitatis propagans in Caſtella, pagoſque Diœceſis egreſſus, eadem pietatis officia propemodum attulit, pauperibus ſpeciatim ſuppeditans pharmaca, antidota, eſcas, pecunias, quicquid denique victui, quidquid ſaluti foret neceſſarium, tanta copia, & liberalitate, vt vno tempore totum ærarium exhauſiſſe videretur, & omne ſpatium quietis corporeę tam ſibi quam Collegis eripuiſſe, nocte, dieque plerumque hoc in miniſterio continuatis.

Contubernales, & domeſticos infectos ſolatur.

Immunes ab excurrente morbo non euaſere Seminarij contubernales, nec ipſa domus Epiſcopi; Epiſcopum ipſum excipe, quem ſeruante Deo peſtis attingere non eſt auſa, etſi laborantium ſeruitio præſidentem, manuque propria miniſtrantem. Ad Seminarij Clericos, ad domeſticos ſuos contagio infectos pergens, animosè, fidenterque viuere iubebat; neminem peſtę iugulandum aſſeueranter prędicens, quod illi poſteà per Epiſcopi merita verum perſenſerunt, ex morbo non ſegniter conualeſcentes.

Manũ ęgrotis imponit vtiliter.

Marc. vlt.

Mos erat Epiſcopo ægrotos viſenti elatam dexteram in eos protendere, & conformata crucis figura beneprecari; Saluatoris quippe illo promiſſo fretus, *ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt*; ſoſpites fore illos ſperabat, & ex iacentibus complures melioris valetudinis ſigna ſtatim concepere. Adſtipulatur dicto præ alijs inſperata ſalus famuli (Aſtulpho nomen erat) quem a Medicis fato adiudicatũ benigniſſimus Epiſcopus precibus Deo datis ſeruaſſe exiſtimatur: nam litata Miſſa, pene exhalantem adoriens. Erigere, inquit animo Aſtulphe, nihilum hic mali. Id quod momento eodem accepta

cepta

cepta benedictione ille ſentiens. Reuera, inquit, mihi iam nihil mali: neque multos poſt dies confirmatis iuribus ſoſpes exilijt.

Fama Sanctitatis, & vis benedictionis.

Ob hæc tam inſignia pietatis opera, communiaque beneficia tantum percrebuit per id temporis Serui Dei fama, opinioque ſanctitatis, vt quiſquis ſibi ſubueniri exquireret ſalutari eius benedictione, vnde diuinę ſalutis virtus emanare. Nemo erat, qui incedenti per vias, & manu benedicenti non occurreret. Proſternitur hic humi, ille e porta, aut feneſtra domus caput effert, ad manus, aut veſtis oſculum alius properat; cui hoc negatur, optimi parentis precibus ſe rogat commendatum. Eſt qui oratiunculas manu Epiſcopi exaratas collo appendit, & quouis amulcto ſalubriores circumfert. Denique cum verbo, prece, manu omnium ſaluti opitularetur, vulgo illum Angelum tutelarem, auxiliarem, Capitis Seruatorem appellabant.

Abeunte poſte ſuffumigantur domus.

Ad extremum euaneſcente iam virulento peſtis afflatu, vt ex domibus detergerentur reliquiæ contagij, & incolis omnia tuta, ſana, & integra remanerent, benedictione Epiſcopali magis quam ſuffumigationibus vſus eſt: licet eas quoque fieri præceperit, & manu ſua multis in locis adhibuerit.

Agũtur gratiæ Deo.

Poſtremo profligata vndequaque peſtilentia, Deo ſoſpitanti gratias agi publicis ſacrificijs, & precationibus per omnem Diœceſim mandat, necnon triduana funebria mortuorum expiationi.

Soluuntur triduana funeſtria defũctis.

Ne vero quis putet tantam Serui Dei vigilantiam medendis ſolum corporibus, ac eluendis in præſentiarum criminibus profuiſſe: Extirpata ſunt magna ex parte vitia regionis, reſtitutus poſthac timor, & cultus

Dei,

Dei, innouatus virtutis amor, & exemplo paſtoris mutua animorum Charitas.

Strenuè recuſat Archiepiſcopatum Genuenſem, & Epiſcopatum Derthonenſem.

CAP. XVII.

QVOD antea de Saulij traductione in alteram Eccleſiam ſecretò audiebatur inter Corſos, mox palam omnibus notum fit: Nam Cypriano Pallauicino Archiepiſcopo Genuẽſi in eam, mentis, & corporis imbecillitatem propter ſeniũ collapſo, vt ſuſtinendo vlterius oneri imbecillior exiſteret, Clerus, Senatuſque illius Ciuitatis, inſcio conſilii Alexandro, egere apud Gregorium XIII. Summum Pontificem, vt is in Coadiutorem cum Iure futuræ ſucceſſionis aſſumeretur. Non ingratam poſtulationem audijt Gregorius, faciliſque, & iucũdus in eam propendit: ſignificarique eodem tempore notum Genuenſium aſſenſum, ac ſummam voluptatem Pontificis, per Cardinalem Sancti Sixti iuſſit Alexandro, quem rei conſcium, atque participem putabat. Dux itidem Reip. Senatus, & amicorum plerique datis litteris humanitatis, & officij, plenis, cum ſibi Antiſtitem aſſerere conati ſunt, ſua-

Inuitatur ad Archiepiſcopatum Genuenſem

dentes

Digitized by Google

dentes vt Genua oriundus patriæ ſaluti, eiuſque iuſtis rationibus proſpiciat, Archiepiſcopalem curam non dedignatus.

Res per quam grauis viſa eſt Alexandro, & longiori conſultatione digna, ne per præcipitationem perverſa exeat: digna quoque Deo conſulto, multa prece, iteratiſque ſacrificijs, vt attentius ponderatis negocij momentis omnibus, quid magis ſit conſentaneum diuinæ voluntati, atque in primis ſectandum eluceſcat.

Conſulit diuinum oraculum.

Parum valuit in illo conſtanti pectore antiquus amor patriæ, parum gratia affinium, & florentiſſimæ vrbis amplitudo. Nil amplius illis tribuit, quam quod præſcribit moderata Charitas. Præhabuit Chriſtianam pietatem ciuium, præparatos animos ad ſemen Euangelicum, & benè ſubactos; Poſſe inibi plures adiungi Deo, & ad perfectam ſanctimoniam erigi; ſibi præſto fore conſortia virorum doctrina, ac virtutibus præſtantium, vnanimi ſenſu Diuina tractantium, quibuſcum velocior ad culmen ſanctitatis conſcenderet; poſſe frequentiores, atque ſublimiores de Deo, de rebus cœleſtibus collocutiones in illo cætu miſceri, vnde multa ediſceret, & in exemplum ſuum referret. Cæterum vniuerſam Rempublicam id poſtulare; ratam, laudatamque a Summo Dei Vicario migrationem, nulla arte a ſe quæſitam; ſe quoque nullis duci ambitionis, aut diuitiarum illecebris. Et ſanè in hac ancipiti quæſtione alicuius ponderis erant iſthæc argumenta.

Rationes id ſuadentes.

Hiſce tamen rationibus permultum detrahebat ſequentium conſideratio. Horror diuortij, ſponſæ venuſtioris gratia; neque enim propter Rachelis formam repudiata Lia deformis. Non eſſe ex leui

Diſſuadentes rationes

cauſa diſſoluendum connubium iuſsu Pij V. ſummæ integritatis, ac prudentiæ Pontificis initum; Præſtare in agenda re Chriſtiana fortia facere, duriora pati; dignitates quo pluribus curis, ac ſpinis ſunt vallatæ, eo meritorum feraciores; & inde propterea bonū opus dici ab Apoſtolo deſiderium Epiſcopatus. Ne a Corſica digrederetur validiſſimè pariter pugnabat beneuolentia Patris in filios, quos tanto cum dolore Chriſto aut pepererat, aut educauerat; mutuus quoque amor, ac reuerentia filiorum in Patrem, a quibus ſeiungi pene mors eſſet. Et quoniam res eſt ſoliciti plena timoris amor, verebatur quam maximè, ne ſe abſente filij nec dum ſatis in vſu virtutum exerciti leui opere ab incæptis, & obſeruantia legis diuinæ reſilirent, ne item reuiuiſcerent odia, diſſidia, priſtinæ crudelitates, quæ Epiſcopi cura, & lenitate ſopita potius quam extincta torpebant. Accedebat non vltimo loco cauſa pauperum, nam cum ſibi nihil ſubſidij ad victum penſitaretur ab Archiepiſcopo Genuenſi, diſtrahi neceſſe erat fructus Eccleſiæ Alerienſis, ſibi videlicet partem, ſucceſſori partem: Quamobrem neutri quicquam ſuperfore, quod Seminario, peregrinis, & reliquis egeſtate laborantibus erogetur. Cœterum in Eccleſia Genuenſi multa quidem benè, riteque ordinata; multa tamen extare, quæ ſibi negocium haud leue faceſſerent, quando illa nec tolerare, nec tollere niſi difficillime poſſet: Deſinit enim locus remedio, vbi quid in mores tranſijt.

1 Tim. 3.

Sen. Ep. 39.

Nil humanæ prudētiæ in hiſce conſultationibus.

Quærat hic lector,& curioſius indaget,ſi quid humile per has rationes offenderit, ſi quid ſordidam ſapiat auaritiam, animi elationem,aut proprij commodi ſtudium:Si quid terreſtria hominum sēnſa humanam-

manam-

manãve redoleat ſapientiam. Omnia hęc enimvero de euangeliorum conſilijs, de promptuarijs virtutum petita ſunt. Perſpicua indicia mentis ab omni terrena labe defecatę, & Spiritus cęleſtis in Præſule ſedentis.

Summa conſiliorum fuit: Standum fidei datæ, repudiandas ſecundas nuptias, ni aliter iuſſerit Pontificum Summus, cuius arbitrio ſubijci non reſpuit quidquid ipſemet contra ſtatuerit. Quocirca ad Gregorium legatur Ambroſius Rotulus, qui coram referat, Epiſcopum Aleriæ nullatenus eſſe horum negociorum participem, non cupidum migrationis, neque huiuſmodi Prouinciæ parem; & ſi Pontificis imperio regi paratum. Addatque, de duobus vnum optatiſſimum, & omni pretio maius Epiſcopo fore, vel in ſinu addictæ ſibi ſponſæ vitam finire, vel in matris ideſt Congregationis ſuæ gremium iterum recondi; tutiores namque ad ſalutem æſtimare ſe Cœnobij tenebras radijs quibuſque, ac ſplendoribus dignitatum. Eodem ſimul tempore Duci, ac Reipublicæ magiſtratibus per litteras gratias agens oratorem mittit Thomam Georgium Præfectum domus Epiſcopalis ad Marcum Ant. Saulium, qui optimates Reipub. ab ea ſententia, & cura reuocet.

Reijcit ſecundas eas nuptias.

Legatur nũcius ad Pontificem.

Et ad Ducem Reip.

Ad tanti rumoris auras attonitæ non ſiluere Oues, balantes per conuallia, & iuga montium. Inclamant aliæ deperdi Paſtorem vigilantiſſimum, aliæ Patrem, & nutritium, illæ virum Dei, Præſulem Sanctiſſimum, Chriſtianæ diſciplinæ magiſtrum optimum, hæ Angelum Dei, & Aleriæ Apoſtolum. Dedereq; gemebundę balatus ita validos, vt auribus inſonuerint Principis Paſtorum, qui minimè ſubmoueri Epiſcopum imperauit. Præſtabit hoc

Inter hæc gemitus Corſorum.

S 2 loco

loco referre tranſmiſſas ad illum litteras, non tam doloris teſtes, quam luculentum Elogium Alexandri, fide omni, atque omni æternitate digniſſimum.

Exemplum Epiſtolæ Cleri, populique Alerienſis ad Summum Pontificem.

Beatiſsime Pater.

,, CLerus, ac Populus Diœceſis Alerienſis
,, audientes Alexandrum Saulium Epiſco-
,, pum ſuum ad Archiepiſcopatum Genuē-
,, ſem traduci, ac proinde proſpicientes quam
,, magnum hinc ſibi, graueque detrimentum, tum
,, ſpiritualibus, tum temporarijs in rebus immineat,
,, ad Sacratiſsimos pedes V. Beatitudinis humilli-
,, mè procumbentes ſupplices rogant, ne pro ea,
,, qua vti Chriſti Vicarius ipſos complectitur pa-
,, terna charitate committat, priuari ſe cæleſti be-
,, neficio, quo tantum Paſtorem largiendo Diuina
,, clementia ipſos ditauit. Is enim eſt, qui ſingu-
,, lari ſtudio, & admiranda comitate Clerum ru-
,, dem, moribuſque incompoſitum, ſeu velimus ſe-
,, nes, ſeu iuuenes, oratione, opere, inprimiſque
,, exemplis vitæ optimis ad Eccleſiaſticam diſcipli-
,, nam formauit, Clericorum Seminarium, in quo
,, ad 25. adoleſcentes inſtituuntur excitauit, &
,, quæ ad victum, quæ ad veſtitum, quæ ad erudi-
,, tionem pertinent, impendijs ſuppeditat ſuis, præ-
,, ter illam, quam continenter adhibet diligentiam,
,, coram edocens, ac proſpiciens, vt in ſacris lit-

teris,

„ teris, boniſque moribus proueheantur, ludima-
„ giſtrum, ac Theologum ſuis ſumptibus ſuſten-
„ tans.

„ Ipſemet populum aſſidua Diuini verbi prędi-
„ catione Chriſtiana Cathecheſi, frequenti viſita-
„ tione, audiendis ſacris confeſſionibus, pręcipuè
„ verò integerrimæ vitæ documētis ſic erudit, vt ab
„ hominum memoria rebus ſalutaribus, ac diuinis
„ melius ibi conſultum nunquam fuerit. Quamob-
„ rem Antiſtes hic optimus, ſi ad alteram ſedē trāſ-
„ feratur, pręclara eius cæpta, laboreſque omnes
„ benè ſuſcepti peſſum irent, & ſpe omni rerum
„ reſtituendarum planè ſublata collaberentur.

„ Satis porro cōſtat, illius populi, Diæceſiſque
„ paupertatem tantam eſſe, vt extet nemo, qui do-
„ mi habeat vnde in annum viuat. Ij tāmen ſuis
„ laboribus Epiſcopum ſuſtentant ſubſidio decima-
„ rum, quo Epiſcopales reditus conſtant. Id quod
„ pientiſſimus paſtor, & quid populo debeat pro-
„ ſpiciens, quicquid ſibi ex tenui victu ſuo, modi-
„ cęque familiæ ſumptu, atque humili cultu ſub-
„ trahere poteſt, hoc in ſubleuandos egenos totum
„ erogare, totum profundere in more habet, & in
„ ſtructuram nouæ Eccleſiæ Cathedralis, ædiumq;
„ Epiſcopalium, quæ quidem ædificia omnino ne-
„ ceſſaria, ibi nulla prorſus extabant. Et ſanè pau-
„ peres acerbiorem famis, ac peſtilentiæ calamita-
„ tem ſuperioribus annis ſenſiſſent, niſi ipſe ma-
„ gnam vim frumenti, milij, orizę, aliarumque
„ frugum ex continenti advehi, ac plebis ſuæ ege-
„ ſtati occurrens gratis diſtribui curauiſſet.

„ Eius prætereà domus perpetuum miſerorum
„ Clericorum, & Sacerdotum hoſpitium eſt, quos

ipſe

„ ipſe alere, quos ſubleuare non deſinit: ſublatis
„ etiam varijs tributis, ac oneribus per deceſſores
„ ſuos impoſitis, Cancellariæ nomine, viſitationum,
„ aliorumquè vltrotributorum cauſa, cum ipſe,
„ Vicarij, ac Viſitatores ab eo miſſi abſque vllo
„ Clericorum onere Diœceſim viſitare, & alia Pa-
„ ſtoralia munera gratis obire ex eius inſtituto ſo-
„ leant. Præter plurima alia, quæ hic tacemus,
„ opportuna beneficia erga Clerum, aſsiduè in Ec-
„ cleſiaſticæ iuriſdictionis, defenſione in tuenda
„ Eccleſię dignitate, augendoque cultu diuino in
„ dies ab ipſo manantia.

„ Itaque amoto illo ex hac Dięceſi ſimul cum
„ tot bonorum operum detrimento communis
„ pauperum pater aufertur, quo quidem orbati,
„ Epiſcopatus fructibus non adiuti quæcunque ſe-
„ cundum diuinam miſericordiā in hac vita ſpera-
„ re poſſunt ſubſidia, ſibi prorſus ſubtrahi videbūt.
„ Ac licet corporis famem perpeti graue ſit, longè
„ tamen grauius fuerit rerum ſpiritualium inediā,
„ & damna ſuſtinere, quæ ſibi impendent, ſi tam
„ pius, ſi tam ſalutaris Epiſcopus tollatur. Quod ne
„ fieri patiatur, &c.

Decrètum Pontificis, non amoueri.

Supplicatione permotus Pontifex Alerienſes voti compotes fecit, ac viri Dei virtutes, raram quoque hoc tempore Clericorum, ac populi in Epiſcopum ſuum pietatem, amorem, atque obſeruantiam admiratus, illis tam gratum, atque vtilem Paſtorem nōn eſt paſſus auferri.

Reſpuit itē Epiſcopatū Derthonenſem.

Non multo poſt iterum ciues Derthonenſes in Epiſcopum ſibi pro Gambara ſenectute preſſo, & luminibus capto concedi Alexandrum popoſcere. Verumtamen nec amor quietis, nec ſpes honoris, aut

aut vſus Conſanguineorum, qui prope eam Vrbem optimis fundis, ac ditionibus potiebantur, aut alia quævis humani commodi ratio, a propoſito illum dimouit.

Pauperibus in noua caritate annonæ ſubuenit.

CAP. XVIII.

IGITVR rebus in integrum reſtitutis, in cultura ſui gregis alacrior perſeuerat, creuitque Epiſcopo hoc anno 1585. nõ ſecus, ac antea anno 1578. noua miſericordię, ac munificientię materies, per nouũ malorum incrementum apud Corſos: nam ex anni proximè elapſi meſſe tenuiſſima, frugumque penuria, ea remanſit in pręſentem annonę paucitas, quę ſolo trimeſtri tota poſſet abſumi. Cœterum pauperibus inedia, & fame deficiendum, cum nec quibus horreis, nec quibus promptuarijs cibi extraherentur, appareret. Sola ſpes vitę, & tota alimonię prouidentia, ſecundum Deum, in optimo patre familias Alexandro; qui deteriorem ſolito meſſem animaduertens, prouidè, ac tempeſtiuè ſupra annuam, & pauperum vſibus aſſignatam annonam, abundatiorem rei frumentarię, & leguminum copiam eorundem victui in horrea ſua congeſſerat. Tantam Serui Dei prouidentiam, ac liberalitatem nullę vnquam litterę dignis laudibus ęquabunt, Alexandri prouidentia

cuius

Digitized by Google

cuius ſinus fuit benignę miſericordię, manus diuinę liberalitatis, domus officina perennis munificentię. Quadringentos quotidie pauperes ſuis alimentis ſuſtentabat, prudenter, & ad congruam menſurã, ne cui deeſsẽt, Panem vnum in diẽ, in hebdomadam vero leguminum vas vnum, & pondo ſalis vnũ, cuilibet egentium partitus.

Egenos quadrigentos quotidiè paſcit.

Hoc itidem anno, quia de reliquijs vrbis Alerię nihil erat ſuperſtes pręter Caſtellũ ad tutamẽ littoris, vbi non ara, non ſpecies templi, neque locus aptus ſacrificio, cui pręſidiarij milites, & adiacentes ruricolę interuenirent, ſed illis ad tria, vel quatuor millia paſſuum ptogrediendum; quod ſanè permultis hęrebat grauius, alijs vero ſpecioſus prætextus abſtinendi à Miſſa etiam ſtatis ab Eccleſia diebus, Epiſcopus damno conſulens, ſuo ęre ſacellum ſatis capax intra rudera loci ędificauit, decenti ſupellectili inſtruxit, addiditque, ſoluta de ſuo mercede congrua, pręsbyterum, qui ſacro quotidie faciendo, & doctrinę Chriſtianę per dies feſtos explicandę præſto eſſet. Ne minus ſpiritualem, quam corpoream eſcam ſuis prouideret.

Sacellum in Caſtro Aleriæ ædificat, & ornat, ęre ſuo.

Eidem addit Præsbyterũ ad Sacrum quotidianũ.

Romam

Romam tertiò proficiſcitur. Stipendia Canonicorum, & eorum numerum auget: ornat Veſtibus Sacris Eccleſias.

CAP. XIX.

INTERIM terris erepto Gregorio XIII. de Republica Chriſtiana optimè merito, Sedis Apoſtolicæ hæres, Chriſtianæque Religionis arbiter renunciatur Sixtus V. Eccleſiæ validiſſimum propugnaculum. Is primo loco theſauros diuinæ clementiæ per Iubilęum expandit: tum vetus ſtatutum de triennali acceſſu ad limina Epiſcopis indicit. Alexander celebrato cum ſuis Iubilęo, legi obſecuturus tertium in Vrbem aſſumpſit iter anno 1588. qui illi in orbem obtigerat. Ad pedes accedentem, & quę ſibi creditę Eccleſię prodeſſent tantũmodò implorantem excepit lætus, audiuitq; benignè Antiſtitum Princeps, atque vltrò eius impetrationi quęcũque vellet detulit.

Mortuo Gregor. renũciatur Pontifex Sixtus V qui lætus excipit Alexandrum.

Ille chariſſimę ſponſę decori, dotalibuſque acceſſionibus continuò intentus, quod prius à Gregorio XIII. de augendis Canonicorum ſtipendijs, & numero obtinuerat, id rurſum Sixti V. diplomate obfirmari rogat. Etenim ſex tantum Canonicis to-

Augentur diplomate ſtipendia, numeruſq; Canonicorum petente Alexandro.

tus numerus Aleriæ olim definitus erat; cuiuslibet penſio decem aureorum, in quartam anni partem haud ſufficiens; ſolo æquata Cathedralis S.Marcelli, deletæque ciuium habitationes. Hinc miniſtrorum paucitate, mercedis tenuitate, & hoſpitij defectu, Canonici non propè Eccleſiam reſidere, non certo, communique loco conſiſtere, ſed pro cuiuſque libito vagari. Vt malo occurreret Alexander Ceruione extructo Templo Cathedrali, necnon Epiſcopalibus ædibus, de ſuis prouentibus perpetuum cenſum ducentorum quadraginta nummûm, quę ſcuta Romana vocant, Cenſibus Canonicorum ad quotidianas diſtributiones adiunxit: Patrem depauperans, vt diteſcerent filij, & fieret exactius Dei miniſterium. His adde Archidiaconum, cui Alphonſo Sancti Petri nomen, quem, ſucceſſoreſque ſuos Ceruione iuſſit reſidere. Inſtituit præterea ex decreto Concilij Tridentini Theologum aſſignatis officio ſcutis octoginta annuis: Sed cum illum, & conuenienti pollere doctrina, & prope habitare vellet, nec quiſpiam oneri ſe ſubijceret, Scipioni Raymũdo Auguſtiniano Eremitæ Theologo illud commiſit. Ad ſplendorem quoque, & ſubſidium tenuis illius cætus Sacerdotum in rem, & hymnodiam diuinam incumbentium, ſenos inſuper Canonicos, indulto Pontificio cõnumerauit, fructibus aliquot beneficiorum intra Diœceſim aſſignatis pro honeſta eorum ſtipe. Conſtituto igitur iuſto miniſtrorum choro, & coędificatis illorum habitationi domibus, non procul a Cathedrali reſidere, & Eccleſiaſtica obire officia, ſeniores iuxta ac iuniores compulit, horis matutinis, & veſpertinis, ipſe pręueniens Epiſcopus. Quæ ſanè omnia tàm piè, ac vtiliter ab Alexandro

Addit Archidiaconum, & Theologum.

Coguntur Canonici propè Cathedralem reſidere, & obire officia Eccleſiaſtica

Alexandro inſtituta,ac præſtita per ſucceſſores Epiſcopos iterum comprobata etiamnum vigent , ad perpetuam Dei gloriam duratura .

Roma ad Lauretanam ędem pietatis ac venerandę Deiparæ ergò , inde Venetias digreſſus, ad duo millia nummùm aureorum numerata de ſuo pecunia illic inſumpſit, comparandæ tum argenteæ, tum holoſericæ ſuppelle ctili , quam varias in Eccleſias Diœceſeos diſtribueret , affirmans Epiſcopum ſuo neglecto , tanto liberalius debere in diuinum cultũ intẽdere,qãnto caducis cœleſtia pręcellunt.His autẽ nouiſſimis benefici js ſuperiora omnia obſignauit.

Lauretum pergit,inde Venetias.

Duo millia nummum impendit cõ parandis ſacris veſtibus & ornamẽtis.

Traducitur ab Alerienſi Eccleſia ad Ticinenſem; Aleriæ iure dictus Apoſtolus.

CAP. XX.

EXTREMO anni biſſextilis 1590. Sixto V. Pontifice Neſtoreis annis digniſſimo, e viuis ſublato, poſt breuiſſimam quoque Vrbani VII. ſeſſionem , extremo menſe eiuſdem anni , Sedis Apoſtolicę hæres conſtituitur Cardinalis Sfondratus Mediolanenſis , vir omnibus meritis cumulatus, cui Gregorij XIIII. nomen acceſſit , olim in pietatis diſciplina Alumnus Alexãdri. Cui vt fuerat animo,& beneuolentia coniunctiſſimus , ità pòſt Põtificia poteſtate ſublimis amicũ tot ſibi vinculis adſtrictũ ex

Electio Gregorij XIV. Sum. Pontificis Alexãdro coniunctiſſ.

animo non deleuit. Ab auis ipſorum traducta ad nepotes miro modo inualuerat amicitiæ, ac neceſſitudinis cõiunctio; erãtq; ambo eiuſdem patrię Ciues, ętate ęquales, conditione pares, educatione perſimiles, vitę, ſtudiorum, ac morũ ſpecie haud diſſentanei.

Mors Hyppoliti Rubei Epiſcopi Papienſis.

Sub initium quoque Aprilis alterius anni Hyppolitus Rubeus Cardinalis titulo S. Blaſij, & Epiſcopus Papienſis, Romæ curandę podagræ diutius immoratus, corripiente febre moritur. Agentibus mox Ticinenſibus apud Pontificem pro Succeſſore, & optimum reponi corrogantibus, ille vniuerſam ſeriem vitæ Alexandri mente tenens, quam de eius meritis imbiberat æſtimationem, præſẽti officio declarauit, Pręſulem illis omni exceptione maiorem, immo Angelicum pollicitus, ſuppreſſo tamen proprio eius nomine. Pium igitur V. ſectatus, quod cœteros omnes cęlabat, vni Cardinalium Collegio arcanum detegit, Alexandro Saulio Papienſis Eccleſię Epiſcopo pronunciato, quem etiam alto encomio commẽdans Angelum humano corpore hoſpitantem dicere non dubitauit. Aſſenſit, arriſit, applauſit lętiſſimè Cardinalium cœtus vniuerſus, noui Antiſtitis encomia pro certiſſimis habens. Itaq; die 10. Maij anni 1591. adſcribitur, renunciaturq; Epiſcopus Papienſis Alexander Saulius: ſignificaturque in Corſica degenti, & nihil tale opinanti per Epiſtolas Cardinalis S. Ceciliæ, atque vt quam primum Romam ſe conferat demandatur.

Alex. nomine Angeli donatur a Sum. Pont.

Eligitur Epiſcopus Papienſis anno 1591.

Vrbis Papiæ ſeù Ticini laus, & inſignia.

Ticinum quod & Papia, Vrbs eſt inter principes Inſubriæ celeberrima, originis antiquitate, Regum Longobardorum ſede, nobilitate Ciuium, ſitus amænitate, vbertate rerum, publica diſciplinarum Academia, & quod caput eſt, Catholicę Religionis

cultu,

cultu, Cleri quoque numero, ac templorum maieſtate inſignis, cuius Epiſcopus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ beneficio ſacri Pallij honore decoratur, Pontifici Maximo duntaxat ſubiectus, atque alijs nonnullis Archiepiſcoporum inſignibus ornatus. Illic vt primum innotuit, Alexandrum Epiſcopum Papienſem, palam vbique lætitiæ, ac quaſi triumpho vacatum eſt; ſed qui Papienſibus alacritatis, ac triumphi plenus extitit nuncius, idem Alerienſibus mœſtitię, ac doloris, lugentibus ſubtrahi ſibi tam præclarum Paſtorem, tam beneficum Patrem, quocum abeunte præſidium omne, omniſque ſpes fælicioris vitæ longiſſimè fugeret.

Solo Pontificis mandato Aleriam deſerit.

Pręſagiens Saulius amariſſimum apud dilectiſſimos filios fore diſceſſum ſuum etiam nunc quartùm non tuliſſet ab illis ſeiungi, niſi vrgens Pontificis imperium expoliaſſet arbitrio, vel liberè ſtare, vel liberè loco cedere; nunquam a data fide receſſiſſet, niſi de oppoſita Dei voluntate, a qua citra omnem difficultatem pendere ſtatutum erat, conſtitiſſet. Quamdiu hominum inſtigatione,&arte pugnatũ eſt, contra quoque enixus eſt ſtrenuè; at vbi abfuiſſe hominum ſtudium, & ſolo Dei inſtinctu rem omnem peragi Pontificio oraculo didicit, non potuit diuini conſilij nutibus non obedire.

Cœterum nobiliores, pinguioreſve Eccleſias ex propria ſententia nunquam prętuliſſet Alerienſi,quã ſibi prę cœteris cariſſimam ſemper dixit, tum publicis ſermonibus, tum litteris paſtoralibus, & ijs pręcipuè quas hac occaſione ad vniuerſas plebes Diœceſis direxit, męſtos de ſuo abſceſſu filios conſolans, de ſibi exhibita hucuſque obedientia, & reuerentia grates rependens, veniam de neglecta cuſtodia

Digitized by Google

ſtodia petens, perennem memoriam deſpondens, & vt in benè cœptis perſeuerent, omni ſtudio perſuadere nitens. Publicum verò mœrorem populi, vt leniret magis, litteris adiungens munificentiam, largiores eleemoſinarum cumulos diſtribuit.

Mutuus fletus.

Abſcedendum tamen: vrget iuſſio Pontificis. Prorumpit ad eum caſum ex Alerienſium miſerabilium oculis imber lacrymarum, queſtibus circum, gemitibus, eiulatibus implentur omnia, nil minus quam ſi precordia ſingulis euellantur. Vt publicum dolorem cōtineat Epiſcopus, ſilentio premit ſuum: Sed quin ſibi lacrymis gene aſpergantur, temperare nequit: Pectus etſi grandi robore preditum euicit pietas. Hic mihi recolenti acceſſum Saulij in Corſicam, eiuſdemque receſſum ſubit illud ipſum perſimile, quod Apoſtolo Paulo venienti preſtitere Galate, quod Mileto abeunti maiores natu Eccleſie: ſiquidem illi Paulum tanquam Angelum Dei, vt fatetur ipſe, excepere, & ſi fieri poſſet, oculos ſibi eruiſſent, dediſsentque Paulo. Hi autem inter profuſiſſimos fletus ſuper collum Pauli procumbentes, deoſculabantur eum dolentes maximè, quod non amplius faciem eius eſsent viſuri: amoriſque, & reuerentie ergò deducebant ad nauim.

Gal. 4.

Act. 20.

Iure dictus Apoſtolus Aleriæ.

Antequam ſeiungamur ipſi a recedentis aſpectu, equiſſimum eſse arbitramur, vt honorarij, & Apoſtolici nominis, quod ab Aleria traxit, mentionem faciamus, eius rei iuſtiſsimas cauſas explicantes.

Val. max. lib. 8. c. 16.

1. Reg. 2.

Cui aſcenſus in Cœlum patet, aiebat ille Ethnicus, quamuis maxima, tamen debito minora ſunt, que in terris tribuuntur. Verumtamen quo plenior ſit merces iuſtorum ſanciuit Deus etiam in terris clareſcere eorū nomina, qui ipsū inter mortales honorifi-

norificauerint. Igitur tam multa, tamque eximia Serui Dei Alexandri facinora vno, vel altero nomine minus benè comprehenſa, non potuere pluribus, iiſque clariſſimis nominibus non abundare, quæ in vitę curſu hactenus deſcripta longum eſſet, minimèque neceſſarium hoc loco iterare. Vulgare illud maximique decoris, & tanquam cœterorum omnium inſtar adduxiſſe ſufficiat, quo ſicut Romani quondam ab Africa deuicta Africani, ab Aſia Aſiatici, ſic à benè, ſanctèque formata Eccleſia Alerienſi Apoſtoli Alerię nomen adeptus eſt.

Apoſtoli titulus a miſſione ſumptus eſt, iiſquè attributus, quos diuina Maieſtas hominum generi nuncios, voluntatiſque ſuæ interpretes delegat: quod de ſuis author Apoſtolorum Chriſtus profitetur, dum illos ab ſe delectos, & miſſos aſſerit: Non ſicut qui ſponte, & audaci quadam licentia in id officij ſe ipſos intrudunt pſeudo Apoſtoli. Nobis autem compertiſſimum eſt; manuque tenemus, hſic Dei Seruum ad Eccleſię Alerienſis Epiſcopatum conſcendiſſe vi, & imperio Optimi Pontificis Pij V. diuinam vicem gerentis; non arte ſua, auſuque impudenti. Verbo, ſcripto, precibus, lacrymis, & amicorum ope contra luctatus eſt; ſuccubuit tandem, ſed Pontificis imperio; indeque iuſtam traxit Apoſtoli appellationem. Cauſæ. Prima.

Eò ſanè ęquiorem, quod ſicuti Apoſtolorum cuique diſpenſatione diuina pars certa terrarum propoſita ſortitione obtigit, rudimentis Chriſtianæ Religionis, & moribus tunc primum imbuenda: Ita Alexandro ea pars Inſulę Corſicæ decreto Pontificio, ac potius diuino, ſpeciatim obuenit, quæ ignorantię caligine, & contagione vitiorum omnem Secunda.

fere

ferè diuinę legis, & Chriſtianę iuſtitię memoriam, oblitterauerat, magiſterio noui Epiſcopi in Dei cultu, Euangeliciſque diſciplinis de integro reformāda.

Tertia.

Tanti operis exequutor egregius nullum prętermiſit officij genus, quo Apoſtolicum miniſterium adimpleret. Repetatur ab origine res. Rudimenta Chriſtianæ fidei per ſe tradebat; Elementa ipſa, & pręſidia ad ſalutem ęternam præſcribebat; datam prouinciam viſitando, & benemerendo quotannis percurrit, baptiſmo initiat, medetur Pœnitentia, reficit Euchariſtia, ſacris ordinibus inſtaurat, erudit concione, Epiſtolis, editiſque libris numine plenis Apoſtolico.

Quarta.

2.Cor.11

Quod ſi Gentium Apoſtolus ſe Chriſti miniſtrum eſſe oſtendit amplius æmulis ſuis, quia in laboribus, plurimis, in periculis fluminum, maris, ac itinerum in ęrumnis, in vigilijs, fame, ſiti, ieiunijs, Eccleſiarum ſolicitudine, alijſque ſexcentis corporis incommodis, atque animę curis inſeruierit gloriæ Dei, & hominum ſaluti. Quis Alexandri pertinaces labores, Chriſti, & rei Chriſtianę cauſa ſuſceptos, quis itinerum exacta terraque marique pericula, quis exhauſtas ęrumnas, vigilias, ieiunia in ſolicitudine Eccleſiæ ſuæ enumeret, qui iure partum, meritoq; inditum illi cognomentum Apoſtoli Aleriæ, à nonnullis etiam Corſicę non arbitretur?

Soluitur obiectio.

At vitam Apoſtolis fere eripuit ferrum. Quam huic minimè ferrum eripuit, corripuit labor acerrimus: vt non ſit diſpar exitus eius, qui inter prouehendum Dei cultum, hominumque ſalutem labore ſtratus occumbit, & eius cui ceruicem gladius perſecutoris amputat. Idque præcipuè vbi quis pro gregis ſui ſalute ipſam quoque ceruicem, pectuſque

obtulit

obtulit gladijs; & qui dum quod iuſtum eſt muneris ſui proſequitur, vibrati lapidis iactu petitus, miro Dei patrocinio euaſit mortem, & ictum mortiferum. Non ſecus ac Ioanni palma, coronaq; Apoſtolica detracta non eſt, cum ex feruentis olei dolio eductus incolumis, pro aſſerenda fide, ac religione Chriſtiana, ad obitum vſque, minimè effuſo ſanguine, elaborat. Sed iam narrationis noſtræ filum repetamus.

Igitur vale dicto chariſſimo gregi, Romam contendit, reperitq; aditum facillimum ad pedes Pontificis, cuius è ſinu priſtinæ beneuolentiæ igniculus erga ipſum ſeruum Dei emerſit illicò. Accedentem ſuſpexit ille ridenti ore, complexus eſt amiciſſimè, egit vt alias nunquam humaniſſimè: Cum his tamen comiter conqueſtus, prolixius feciſſe quã par eſſet deſiderium ſui. Addidit quoque, a prima die ſui Pontificatus in animo, & in votis ſibi fuiſſe, eum de Inſula Corſica reuocare, atque eminentia merita eminentiori gradu ſpectanda exhibere (quod nonnulli dictum arbitrati ſunt de Purpura Cardinalitia, qua veterem amicum inſignire ſanciuerat Gregorius, ſi longius aura vitali frui licuiſset.) Ille benigniſſimi Pontificis gratam memoriam, paternamque beneuolentiam extollens, nactus loquendi opportunitatem, non congeri ſibi opes, non beneficia, aut dignitates; ſed reijci a ſe primatum Eccleſiæ Papienſis orat; magis idoneo viro ſoliũ illud deberi, „ inquiens, & magis idoneum virum ſolio. Ego, aie- „ bat, tantæ Prouinciæ ſum imbecillior: ſi quid in „ me valet beneuolentia tua, ſi quid auſim apud „ Sanctitatem tuam, quam poſſum maiore ſtudio „ obteſtor (eritque mihi loco ſummi omnium be-

Romam cõtendit.

Dulcia Gregor. & Alex. colloquia.

Alex. Epiſcopatum renuit. In ſuũ ordinem rogat dimitti.

V „ neſi-

„ neficij) quando ab Aleria diſcedendum ſit, poſ-
„ ſe in ſinum Congregationis meæ regredi, & in
„ meo nidulo finem dierum meorum expectare.
„ Benè ſit Pio V. & indulgeat illi Deus, qui me ab
„ vberibus matris meæ abduxit; ille quidem bono
„ conſilio, mihi autem non bono exitu; vitio
„ tamen meo, qui regimini animarum natus non
„ ſum. Quare vt hac ſarcina alleuer, iterum, atq;
„ iterum obteſtor clementiam tuam, Beatiſſime Pater. Et hęc dicens cum cadente lacrymarum imbre ad pedes Pontificis procidit totus. Non potuit ille tenerrimi amoris iaculo non peti, neque impetũ lacrymarum ſiſtere. Verumtamen trepidanti animũ reparans, & ad mentem firmiorem hortatus addidit, hoc onus conſule Deo imponi; vehementer quoque vt ſibi ipſe aſsumat optari: Non tam citò ponendam metam laboribus pro Dei cultu, & Eccleſię Catholicę prouentu. Ad hęc Alexander in Vicario Chriſti Chriſtum reputans obticeſcit, patiens optẽperat, humero onus ſubit; certus, ſibi non a ſe impoſitum; certus inſuper Deum omnipotentem, qui totius negocij auctor erat pręcipuus, poſse de impare parem miniſterio facere.

Nil profuit.

Inter alia huius congreſsus negotia actitatum eſt in primis de deligendo ſucceſsore in Eccleſia Alerienſi, conuentumque in Octauium Belmuſtum, patre Genuenſi, matre Corſa. Exinde ſtationem diuturniorem in Curia, aulicoſque mores parum probãs Alexander, licentiam itineris ex tempore faciendi poſtulat, celeremque progreſſionem ad nouum ouile premit. Pontifex ſiue vt eo conſultore vteretur, ſiue vt hoc antiquę Religionis raro exemplari Romanos ad reſumendos ſpiritus virtutis auitę prouocaret, ſiue

Agitur de ſucceſſore. Præfertur Belmuſtus.

(quæ

(quæ plurium fuit, meliorque ſententia) vt ſuo tempore illum inter Purpuratos Patres conſcriberet, longius differri exceſſum optabat; ſed vehementius vrgenti commeatum tandem conceſſit, quem ille non vltra diem duodecimum protraxit.

Alex. conſcribendus albo Cardinaliũ Roma diſcedit.

Ingreſſus in Vrbem Ticinenſem.

CAP. XXI.

ROMA procedens Genuam Epiſcopus Ticinenſis non nihilum febricula vexatur. Cõuolant mox ęiuſdem Eccleſiæ Canonici, alijque optimates communem Cleri, populique lætitiam, obſeruantiam, & æſtuantia deſideria deferentes.

Roma Genuã traijcit ægrotans.

Sed is de recenti ęgritudine reſpirans, & à Ticino declinans, Mediolanum pergit, aliquid refrigerationis a pręteritarum curarum ęſtu, & recentiores vires ad noua molimina, de gremio, deque vberibus matris, ideſt Congregationis ſuæ collecturus. Præcipuè autem cum Carolo a Baſilicapetri iam tertium Congregationis Prępoſito Generali collaturus de ęquabili vitę ſuę ratione, de promouendo Dei cultu, regenda Eccleſia, Clero reformando, populi curanda ſalute, in primis de benè educanda familia: Hanc enim magis Religioſos, quam Curiales mores referre volebat. Plurimum ſiquidem conſilijs, dictiſq; Caroli viri ſapientiſſimi, poſtmodum Epiſcopi Nouarienſis tribuebat Alexander,

Inde Mediolanũ ad Patres ſuæ Cõgregationis. multa collaturus cũ Carolo à Baſilicapetri Præpoſito Generali,

Digitized by Google

quem etiam Ticinum pręmiſit ad componendam amicè, & ex quadam ęquitate conteſtatam litem de Eccleſię prouentibus cum hęredibus prędeceſſoris Epiſcopi, malens bonę famę, & bono exemplo conſuli, quam ſeruandę rei domeſticę: Sic enim magis decere, aiebat, Epiſcopum Religioſum.

Bonā Epiſcopi famā præfert rei domeſticæ.

Et ſi autem Mediolano promptius diſcedere vrgeret cupido Eccleſię Papienſis, tamen ardenti deprecatione Ciuium Ticinenſium aliquantiſper ſiſtere cogitur, dum venienti honoratior acceptio inſtruitur. Pręoptabat hanc Epiſcopus moderatam, ac priuatam; monueratque ab omni pompa, & impendijs abſtinere, ſatius, ac vtilius pecunias in pauperum alimenta ſeruari. At illi contra; Quibus benefacias, ſemper pro foribus pauperes adeſſe; eius notę Epiſcopum, quem honores, rariſſimè. Proinde apud Vrbis Profectos decretum, decenti apparatu, etſi meritis impari, occurrere aduentanti, rogarique propterea, ne tam propere Mediolano pedem efferat. Quid hic potius agat ambigens Alexander adit Patrum oracula; Ciuium votis indulgendum, reſpondetur illi: ſi reſpuas ipſe tibi, tamen in hoc ſeculo nequam, quo pręclarum nomen, dignitaſque Epiſcopalis nimium apud populos viluit, has honoris, ac reuerentiæ ſpecies gradui conuenire. Hac item de cauſa Carolum Borromæum Mediolanenſium apparatus haud contempſiſſe, quum primum acciperetur Archiepiſcopus; & eò magis, quod etiā magnifico in apparatu poteſt animi modeſtia delitteſcere.

Cogitur expectare apparatum ſui ingreſſus.

Condicta igitur die, quæ erat Octobris 19. ab Oratoribus Ticinenſibus Mediolano per [illegible] Cœnobium Carthuſianorum Papiam deducitur, dum-

Diuertit ad S. Pauli extra muros die 19 Octobris 1591. vbi accipit obitum Greg. XIV.

dumque in Vrbe cuncta ſuo ordine digeruntur, in celebri Monaſterio S. Pauli extra muros in craſtinũ vſque diuerſatur. Illic interim, ne vlla gaudia luctu non miſceantur, mors Gregorij XIV. amici beneſici Alexandro nihil tale ſperanti nunciatur. Ingemuit ille tanti Pontificis obitum, inſtantiam ſui ex ætatis æqualitate portendi arguens. Mane altero perſolutis Amico inferijs de Chriſtiano more, triumphali ingreſſui parat ſeſe.

Cui perſoluit inferias.

Propoſiti noſtri minimè eſt, faciem, maieſtatemue apparatus eiuſmodi nuditate ſtyli noſtri exponere. Quis enim enumeratò referat turmas aduenarum cum ciuibus curſitantium, non tam ad ſpectandam celebritatem pompæ, quàm ad venerandam præſentiam Præſulis communi omnium bono aduentantis? Quis ſtratas fronde, ac multiplici flore vias, aulæis pretioſis veſtitos parietes, picturarum compoſitas ſcenas, elogio, & carmine vario emblemata diſpoſita, arcus in triumphalium morem paſſim excitatos, & quicquid in publica hilaritate excogitare valet genius certantium populorum? Hæc habes ſi cupis apud Antonium Mariam Speltam, & Henricum Farneſium, qui & coràm inſpexere, & Iconographiam eruditè, eleganterque ſtylo, & commentatione expreſſere.

Aliquid de pompa ingreſſus.

Procedebant pia ſodalitia ſupplicantiſ, ſuis quæque ordinibus: puerorum, quos vocant doctrinæ Chriſtianæ, ad tria millia; puellarum ad longè plura; virorum frequentiſſimi cœtus; chori Religioſorum; Cleri ſecularis, & Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ nobiliſſima cohors. Præeuntium veſtigia premebat, vt Sol lucidior Stellas, Epiſcopus, mulo inſidens, ſtipatus ſplendido Procerum comitatu, cui

in aditu portæ Sacerdoti magno modulati ſunt muſicorum, tibicinumque chori; magiſtratus regij, magiſtratuſque vrbani, litteratorum Collegia, & quotquot eſſent cum plebe primates fauſta acclamauere. Reliquum viæ confecit, quà pedes vmbraculo tectus inter brachia nobilium, quà excelſo throno eleuatus, quà iterum mulo inſidens; omnia pro antiqui ritus conſuetudine: Vt mihi prope pompas triumphantium videatur imitatus; Pro curribus adſunt brachia nobiliſſimorum virorum; quotquot eunti occurrunt mortales, tot occurrunt beneuoli geſtatores; quotquot ſub oculis ſpectatores habet, tot ſimul habet deditios captiuos, quos grata catena dilectionis reuinctos poſt ſe abducit amantiſſimè: pro cantilenis audit auras hymnis cęleſtibus perſonantes. Ne vero quiſquam incongruum æſtimet euehi Epiſcopos tanta magnificentia, quæ haud dubiè in Dei omnipotentis honorem redundat. Si etenim quæ nec auro, nec argento referri ſatis poteſt diuinitatis imago, tamen ſi qua eſt, quæ Dei emortua imago dicatur, in pretio, ac veneratione eſt; quò dignior habebitur veneratione, ac obſeruantia, quæ in optimi Epiſcopi facie, & exemplo elucet viuens, & Deum reprę̨ſentans ſimilitudo?

Honor Epiſcopis debitus.

Quid porrò Alexander tot inter celebres glorias, ac triumphos? benedicere hinc inde populo dextera bonum omen portendente; quæ magis regeretur charitatis, quam animæ impulſu; accurrentibus fauſta precari, plaudentibus hilari oculo reſpondere, & comprobare editas amoris, atque obſeruantiæ ſignificationes. Didicerat namque experimento, nil ad regendos animos ſubditorum ęquè valere, ac ipſam propenſionem animorum, ſenſuum conuenientiam,

Quid ageret Alex. inter illas celebres glorias.

tiam,

tiam, & amoris repenſam gratiam. Interdum quoq; prę cordis teneritudine viſi ſunt in lacrymarum imbres liqueſcere oculi Epiſcopi, ſiue popularem illam inſpectantis pietatem, in vili ſeruulo colentem Summum Deum, ſiue etiam inter illas oſtentationes deplorantis caſus varios humanarum rerum, quæ eodem occidunt, quo oriuntur momento: Vt clarius proſpexit mulo deſiliens in Aream Templi, vbi repentino afflatu correptus, repentiniſque lacrymis obrutus, ad circumſtantes conuerſus, O fugaces pompas! (inquit, exclamans) ô breues ſęculi honorificentias! non ante Sol compleuerit annuum orbem, quam in lugubrem tragœdiam mutentur iſta feſta gaudia, iſta pompæ magnificentia. Quam & prænotionem de fato ſuo ante reuoluentis anni metam ſubſecuturo fuiſſe, & veram extitiſſe, ipſe probauit euentus.

Obitum ſuũ prędicit ante annum.

Denique in limine Baſilicæ oblatas a Præpoſito claues argenteas, ditionis ſuæ ſceptra, capeſſiuit, atque in ſolium Epiſcopale conſcendens toti populo benedixit, tum a Canonicis inauguratus, eleganti quoque oratione per Angelum Barbonium honeſtatus, ſub noctem in ædes Epiſcopales inducitur.

Capeſſit dignitatis honorem, ſedetque in ſolio Epiſcopali.

Acta

Acta in Epiſcopatu Ticinenſi.

CAP. XXII.

Alex. ſeni opportuna Sedes in vrbe Ticino.

PORTVM hic quietis, an noui laboris campũ dixerim? campum vtique laborioſum; vbi multa exſecanda, multa conuellenda, multa quoque inſerenda, & accurata excolenda manu. Seneſcenti Epiſcopo, & tranſactis laboribus fracto ad aliquam quietem opportuna videbatur translatio Ticinenſis, in qua rariora ſpineta, vberior hominum præſtantium copia. Nec erat ſeniori iniucundum in ea Vrbe conſidere, cui iuuentutis primæuum florem dediſſet, primaque pietatis, & doctrinæ ſemina iunior iecisſet, &, vt aiebat, alteram patriam ſibi feciſſet. Verum vbicumque, vel leuis ſe dat occaſio, charitas adnexa oneri Epiſcopali, quietis impatiens neſcit remiſsè agere: namque Epiſcopus in ſolio collocatur, non vt ſedeat otioſus, ſed vt cura, & exemplo alijs præſideat.

Diſciplinam Chriſtianam maximè curat.

Operi igitur, quod dudum fuerat meditatus, celerem manum admouens, diſciplinam Chriſtianam collapſam erigere, labantem ſuſtinere, ſtantem roborare ſtuduit diligentiſſimè, innouatione potiſſimũ earum legum, quas Venerabiles Patres Sacri Tridentini Concilij, cuius Alexander propugnator erat acerrimus, Epiſcopis nominatim demandarunt. Et

Acerrimus propugnator Conc. Trid.

in ijs illas primum, quæ Dei cultum, & Eccleſiæ cæremonias colluſtrant, veluti ſacroſancta ſacrificia, Diuinæ maieſtatis hymnodia, præconia publica, aliaque Chriſtianæ Religionis myſteria, quæ vt ritè, ac decorè fierent, verbo, exemploq; inſiſtebat attentiſſimè Alexander, ordiens a Cathedrali ſua, vnde ſacrorum rituum Religioſa obſeruantia in alias Eccleſias efflueret. Quare Epiſcopus quotidie per diluculum vno, aut altero comitatus, ſępè verò ſolus, cum ſuis Canonicis, immo prior Canonicis in communi Odæo ſacræ pſalmodiæ compoſitè, grauiter, & attentè operam dabat, ad id negotium facilis, Area licet Templi interiacente. Hoc loco offert ſe ſingularis pietatis, ac patientiæ inter brumales algores ſpectandum exemplum. Poſt feſta Dei Natalitia, quo tempore tellus niue operta, & matutino frigore rigebat aer, Epiſcopus primo ſigno officij antelucani excitus, nullo comite ad fores Eccleſiæ perrexit, & quas patere putabat, inuenit occluſas. Ibi non conqueri, non pulſare, neque retrogredi, ſed æditiuum præſtolari, qui panderet: quo per horam cunctante Epiſcopus genibus ante valuas poſitis, animo tranquillo, ac benè compoſito per id temporis vacat orationi. Aperienti æditiuo non querimoniam, non minas, non amarum aut frigidum obijcit verbum, ſed eo humaniter, & ſuauiter ſalutato, in aſſuetum Odæum placidus procedit.

Sacrum cultum reparat

Frequens, & primus ad pſalmodiam.

Rarum pietatis, ac patientiæ argumentum.

Internæ huic pietati coniungi quoque per omnes Eccleſias externum nitorem curauit, quo oblectati homines facilius ad Deum colendum protraherentur. Sed ne ſæpius in idem recurrat oratio, paucis hic vtor. Reſtituit ipſe feſtorum veram, ac germanam celebrationem, vetans negotia ſæcularia, &

Studium nitoris Eccleſiarum.

plebem pijs functionibus detinens: Ab Eccleſijs, & earum ambitu interdixit confabulationibus, inãbulationibus, & loco ſacro indignis quibuſuis functionibus: merces, & eſculenta præ ſacris foribus vendi inhibuit: Eccleſias plnres pretioſis donarijs, ſacerdotalibus ornamentis, argenteiſque vaſis inſtruxit. Vtque eruditione, ſanctimonia vitæ, & ſtudio diuini cultus viris mage cõſpicuis augeret Collegium Canonicorum, quibus pertenues erant reditus, cenſum amplificauit, aliquot beneficijs quæ ſimplicia vocant adiunctis.

Auget reditus Canonicales.

Reliqua Epiſcopalis officij geſta.

His adde reliqua boni Paſtoris munia diligenter, ac ſponte actitata: nunquam deſtitit ſacras conciones paternę charitatis, ſalutariſque doctrinæ plenas de ſuggeſtu habere, ſacramenta populo impertiri, precationibus publicis intereſſe, ſcholas Cathecheſeos Chriſtianę inuiſere, ac ordinare, ſacrarum Virginum Gynecæa curare, edicta, decreta, ac Paſtorales Epiſtolas ad Clerum, ad populum pro recta morum inſtitutione opportunè promulgare, corruptelas varias morum, quæ in eam ciuitatem, ac Diœceſim, vt eſt humana fragilitas, paſſim irrepſerant, ſumma vigilantia reprimere. Adde facilem omnibus nulla non hora ad ſe acceſſum, libellos ſupplices vndequaque ſuſceptos, patienter lectos, & quãtum liceret, voto non reiecto: Pauperum cauſas verbo, & pecunia tueri: A ſuis miniſtris omnem actũ, omnemque ſuſpicionem auaritiæ abigere, vt liberè. & liberaliter populo inſeruiretur; ſacris hoſpitijs, publicis valetudinarijs, cœnobijs, ac locis pijs datas pecuniarum ſummas, & vt verbo omnia complectar, neminem pręteriſſe, quem non aliquo afficeret beneficio.

Diœceſim

Diœceſim viſitat, & grauiter ægrotat.

CAP. XXIII.

IAM vero cum multa piè in Vrbe Epiſcopali geſſiſſet, multa vtiliter decreuiſſet, reliquum erat, vt quod in votis præcipuum habebat, duo Paſtoralis curæ munera exequeretur, nempe ſynodum, & Viſitationem Diœceſanā. Sinodo præponere viſitationē mens erat, clariores hinc notiones, atque agendorum lucem accepturo: Sed qui hominum conſilia ſæpius anteuertit Deus, vnum permiſit, denegauit alterum. Nam viſitationis curſum exorſus exacto Maio, prĕmiſſis precibus, ac pijs largitionibus, quo mage propitium operi adforet numen diuinum, Synodum nequiuit, e mortalibus præreptus. Quæ per totam hanc luſtrationem egerit, in victus parſimonia, in laboribus vltra fidem, in Sacramentorum collatione, in creberrimis concionibus, & in omni rerum genere, fruſtra huc reuocarem, cum ab eo quem in Corſica ſeruauerat ritum, nullatenus diſceſſerit; niſi quod facilitas viarum, & regionis feracitas videbatur paulo plures comites Epiſcopo concedere; & quod pietas incolarum aliquantulum alleuabat pondus viſitantis effæta iam ſenectute aggrauati.

Viſitationē Diœceſanam obire, ac ſynodum celebrare parat.

Viſitationē inchoat exacto Maio.

Peragit eodem ritu quo, & in Corſica.

A' Sexto, & Cairate oppidis, quæ in ambitu

Digitized by Google

Patrati miraculi opinioni locũ dat, vectus Ticino flumine,

Diœceſis Mediolanenſis ſita ſunt, ſed peruetuſto priuilegio Papienſi ſubiecta, Ticinum per eiuſdem nominis flumen rediens patrati miraculi opinioni locum dedit. Nam qua vehebatur naui rapidiſſimo aquarum diuortio in valde periculoſum ſcopulum deportata, immo impingente, rimiſque prægrandibus fatiſcente, cęteris actum de ſalute clamitantibus, Epiſcopus nihil de ſua in Deum fiducia detrahens, ipſis in faucibus mortis intrepidus, ſuam, & ſociorum ſalutem Numini commendans, erigere animum omnes, diuinumque auxilium implorare iubet, ſperans omnes diſcrimine euaſuros incolumes. Quod vt ille prædixerat euenit, & bene eueniſſe diuino patrocinio, & Epiſcopi meritis ab omnibus acclamatum eſt.

Papiã redit, concionaturus in feſtis B. Virg.

Ardor inter viſitandum

Conſulẽtes reſpirare repellit.

Piè, & ſtrenuè dictum Alex.

Papiæ redditus breuem tantummodo moram ibidem duxit, dum Beatæ Virginis Aſſumptæ, & eiuſdem enaſcentis feſta Pontificijs concionibus cohoneſtat. Exin ouilium per arua diſperſorum memor, charitate abreptus, ad illa confeſtim reuertitur. Properantem non æſtus, neque imbres, vel aucta imbecillitas, aut aliud quidpiam ab Epiſcopali ſolicitudine compeſcuit, quantumuis comites plus ſolito pallentem, & iam toto langueſcentem corpore a grauioribus curis deterrere conarentur, & vt parumper reſpiraret, ſuaderent. Contra ille, quaſi iam centro appropians, velocior ad omnia venit, conciones ingeminat, totos dies conferendis Sacramentis, & auſcultandis ſupplicibus tradit, cęteraque omnia viſitantium munia indefeſſus proſequitur, faſſus debere ſe maiora, optatiſſimumque ſibi in cultu vineæ ſuæ emori: ſic velle Chriſtum, milites ſuos in gradu, manus conferen-

ſerendo obire, & victoriam parere.

Perluſtrato iam fere toto tractu partis Lomelinæ Baſſignanum peruenit, habuitque menſe Septembri ſacras ordinationes, inde Comitatum Aſtenſem peragrans, quas in illa ditione Ducis Sabaudiæ ſibi ſubditas habet Epiſcopus Papienſis Eccleſias inuiſit, ac Callozzum Diœceſis extremum limitem pridie Kal.Octobris attigit, vbi vitæ exercitæ trophęa vltima ponit. Mos erat huic Seruo Dei, neglectis magnatum hoſpitijs, in pręsbyterio vna cum Rectore, eiuſque Sacerdotibus contineri: quod etiamnum Callozzi fecit, magnificas ædes Herculis Rotarij viri clariſſimi, atque eiuſdem loci dynaſtæ ſponte, & comiter oblatas reſpuens, vt pręsbyteris propior adeſſet. Callozzi igitur poſteaquam mane totum agendo ſacrificio, concione, collatione Sacramentorum, & Chriſmatis inunctione, horas vero promeridianas ſupplicum auſcultatione, alijſque pijs muneribus conſumpſit, ſub ſerum podagra, & febri torquetur, qui noui morbi acceſſus in prius repudiatum hoſpitium Herculis traduci infirmum perſuaſit. Saulium, Saulijque virtutes ſummo cum honore, ac reuerentia ſuſpexerat Hercules iam inde ab annis vigintiſeptem, quo ex tempore in Papienſi Academia iuriſperitię dans operam, apud eũ ſolemne habebat conſcientiam expiare; ab eo quoque paterna charitate de graui morbo tum recreatus. Erat prætereà Herculi coniunx pia, in primis honeſtiſsima, atque obſequioſa fęmina Carlota Andreæ Rotarij filia, quæ priſcas æmulata pias fęminas, ægrotantis hoſpitis donec adfuit halitus, curam, & famulatum incredibili ambitu ſuſcepit. Ille ægritudine preſſus non renuit, quantum ferret Epi-

ſcopi

In oppido Baſſignani ſacras habet ordinationes.

Callozzum in agro Aſtẽ ſi peruenit.

Aedes Herculis Rotarij Dynaſtæ comiter reſpuit vt præsbyteris propior adſit.

Peractis muneris Epiſcopalibus febre corripitur.

Traducitur in Herculis hoſpitium.

Carlotæ Rotariæ pietas, ac famulatus.

ſcopi modeſtia, de manu famulantis miniſteria; & Papiam tranſmiſſis largis pecunijs in pauperum ſubſidia, diuinam opem, diuinique conſilij decreta placidus morabatur.

Mors, & funus.

CAP. XXIV.

Quid decli-nans ad mor-tem diceret.

INVALESCENTE in dies vi morbi, ingruentibus inſuper alijs ægritudinibus inteſtinis, poſt ſeptimum declinare ad mortem compertus eſt; audituſq;illud Apoſtoli ſicut mente, ita & ore ſæpius reuoluere. *Quis me liberabit de corpore mortis huius*? Inciderat

Rom.7.

Ambroſ. Ro-tulus etiam febri corre-ptus.

fortuitò per hos quoque dies in febrim apud Rectorem Ambroſius Rotulus Saulio chariſſimus, quem a confeſſionibus, & laborum Achatem fidum in Aleriẽſi Eccleſia, mox in Ticinẽſi habuerat. Id quod Epiſcopo non leuem ingeſſerat curam. At opportunè malo prouidit Deus. Nam e Collegio noſtro Caſalenſi accurrens Gregorius Aſinarius Herculis conſobrinus, vir notæ probitatis, litteraturæ, & authoritatis, non mediocrem animi ſerenitatem attulit ſperanti ab aliquo ſuę Congregationis Sacramenta, & cætera morientium adiumenta ſuſcipere, atque inter ſuorum manus ſpiritum Deo reddere: auctaque eſt duplo alacritas, vbi Ambroſium a febri liberum cognouit. Scitatus interim Medicorum

Aduentus Gregorij Aſinarij de ea-dem Congre gatione.

iudi-

Digitized by Google

iudicia ſuper vitæ, mortiſue ſuæ diſcrimine, ſimul ac mortalitatis metam adeſſe intellexit, optati exitus nuntium lætabundus accepit, omnes mox cogitationes ſuas, omneſque curas in ſuum tranſitum collegit. In primis apud ipſum Ambroſium, cui iamdudum arcana animæ cuncta crediderat fidentiſſimè, confeſſionem diligentiſſimam inſtituit, toto illam proſecutus triduo, repetens anteactæ vitæ vel minimas labeculas ab vſque teneris annis, immo vti teſtabatur Ambroſius, quæ nec dum triennis egiſſet ignorans: tantus erat amor innocentiæ, tantumque ſtudium ad tribunal Diuini Iudicis adſtandi, omni procul errati formidine. Subinde ſingulari cum pietate, atque auiditate expetijt ſibi afferri tempeſtiuè alia quæcunque eſſent diuina morientium remedia, ac ſubſidia.

Intelligens adeſſe metā vitę quid egerit Alex.

Conſcientiā emundat næuis.

Aduocari quoque iubet Tabellionem, quo præſente nouum condat teſtamentum, ſciſſo quod ſcripſerat in Corſica. Ex conceſſa ſibi facultate bis mille aureos in domeſticorum remunerationes, & pia legata cedere voluit, nulla affinitatis, propinquitatis, vel amicitiæ habita ratione: Seminario ſpeciatim Aleriæ quadringentos, pauperibus promiſcuè ſexcentos, præter priuatorum dona. De reliquo, quod conſtabat potiſſimè libris, & ſcriptis hæredes dixit Patres ex Congregatione ſua in Collegio Ticinenſi. Teſtamentumque Philippo Leoni Archidiacono Papienſi, & Seuerino Belingerio Decretorum Doctori demandauit. Sepeliendo cadaueri loculum optante illo in Cathedrali Papiæ, quæſiuit Ambroſius, In ampliori ne Sacello, an in Odęo? Audi quam minimi ſe faceret, & quanto minoris pompas ſęculi. Indignior ſum, reſpondit, quam

Nouum condit teſtamentum.

Legata.

vt

Optat ſe pulturā in imô Eccleſiæ pauimento, & ſine pompa.

vt in Sancta Sanctorum inferar. Condite me in imo pauimento Templi, & citra vllam pompam.

Sacrum viaticum ſumit

Sacratiſſimum deinde viaticum ſumpturus timens ne tantillus in anima lateret næuulus, iterum apud Gregorium Aſinarium abſtergit quidquid oculis Redemptoris diſpliceret: tum licet viribus exhauſtus ita magno, ardentique ſpiritu de Sacramenti Euchariſtici dignitate vltra ſemihoram verba fecit ad familiares, & quotquot frequentes acceſſerant, vt in ſtuporem, & apertas lacrymas concitaret: profeſſus ſe tam conſtanti, ac perſpicua fide Chriſtianæ Religionis dogmata tenere, certoque quodam diuinæ ſapientiæ lumine comprehendere, vt propemodum vereretur, ne id fidei meritum imminueret; quamuis teneret optimè diuini luminis copiam de fidei præſtantia, vel de merito in hac vita nihil detrahere, ſed augere potius. Quod tamen non per iactantiam dixiſſe demonſtrabat, ſed vt ipſos in Chriſtiana profeſſione magis, ac magis confirmaret.

Præmittit de Sacra Euchariſtia feruidū ſermonem.

Fides in myſteria chriſtiana incomparabilis.

Angelico cibo, diuinaque ſuauitate lætus in longiores preces, longioremque cœleſtium contemplationem, atque in dulces amplexus Verbi Dei ſe tradit. Cumque ſub medium noctis quieuiſſet aliquãtulum, expergefactus, & ab hoſpite Hercule, vti ſe haberet interrogatus, hilaris intulit cum Iobo: *Expecto donec veniat immutatio mea*. Illucente verò diluculo, dum expediuntur, quæ ſunt ad extremam vnctionem, Alexander integris adhuc ſenſibus in hęc verba licet intercepta erupit ad familiares:

Iob. 14.

„ Morior, dilectiſſimi, en morior non fractus labo-
„ ribus, ſed quod hora venit mea: labores ſi reno-
„ uandi forent, renouarem lubentiſſimus; ſic enim
„ decet Epiſcopos mortalem hanc vitam profun-
dere,

Audi morientis conſtantiam, & animum ad labores paratū

„ dere, vt alijs dent immortalem. Tum magna cum demiſſione ſui, & lacrymarum profuſione veniam cepit rogare, ſi quibus in rebus eos offenderit; obſecrat, vt pro æterna ſua ſalute Deum Optimum Maximum precentur, vtque idem a Ticinenſibus, præcipue vero a ſacris virginibus ſuo nomine exigant. Ad hæc omnibus qui aderant fusè lacrymantibus, tantique viri, ac patris amantiſſimi „ iacturam deflentibus animum addens, Ne me, „ quæſo, inquit, fratres, filijque amantiſſimi fleti„ bus proſequamini, precibus potiùs, ac lætitia. „ Ego, vti ſpero, diuina clementia fretus, propero „ ad ſempiternæ vitæ gaudia. Vos obſeruantia di„ uinarum legum ſic agite, vt ad eandem pertinga„ tis. Hiſque dictis dextera ęgrè eleuata omnibus deflentibus benedixit.

Lacrymãs veniam a ſuis rogat, & precum ſubſidium.

Inclyta, ac manifeſta ſalutis fiducia

Mox oleo ſacro dum perungitur, ad ſingulos precum, litaniarumque verſus viua voce ipſe reſpondere, menteque in Deum erecta diuinam miſericordiam implorare. Poſtea ceteris dimiſſis, ſolos Patres Ambroſium, & Gregorium cum Sacerdotibus nonnullis, & hoſpite Carlotta in cubiculo retinet, quò preces longius producant, dum ipſe cum Deo ſuſpirijs, & affectibus agit, Ieſum ſępius inclamans, & caput, pectuſque ſigno Crucis muniens. Denique initia lamentationum Hieremiæ Prophetæ, atque Dominicæ Paſſionis hiſtoriam ex Euangelio ſibi perlegi iubet. Quod dum illi agerent, clauſis ipſe oculis, & conformatis in Crucem brachijs, pedibuſque, ità quieuit, vt expiraſſe crederetur; ex quo a lectione ſimul ceſſatum eſt. At ille euigilans, „ Quid, inquit, lector ſiſtis? O ſi ſcires quo me bo„ no, quibus viſis tua ceſſatione fraudaueris! Ro-

Oleo ſacro vngitur.

Præcipit legi ſibi lamentationes Ieremiæ, & Chriſti paſſionem.

Dũ legitur, cæleſtes Hierarchias conſpicere ſe teſtatur.

gatus dicere, Ecquid vidiſſet: conſtanter aſſeruiſſe „ ab adſtantibus dicitur, Se in Cœlos mente raptũ „ cœleſtem Hierarchiam, ac Beatorum fęlicitatem „ quaſi perſpexiſſe. Præcepitque, proſequeretur Sacerdos inchoatam ex Euangelio S. Matthæi lectionem. Hoc dum ille exequi ſtatim pergit, conquieſcens Vir Dei, oculis in Cœlum intentis, placidiſſimè, ac vultu ſereno obdormit in Domino, terriſque relictis ad cœleſtem gloriam, quam præuiderat, vt piè credi poteſt, fęliciter euolauit, v. Id. Octobris, Dominico die, hora 16. anno ſalutis 1592. ætatis verò ſuæ duodeſexageſimo. Hunc mortalis vitæ exitum habuit vir Deo, & hominibus clarus, ſingulari morum innocentia, Religione, ſapientiaque inſignis, qui tanta in acerbitate dolorum nunquam indoluit, aut animo cecidit, ſtante vultu, & ſiccis oculis Diuinam prouidentiam perpetuò collaudans.

Cõformatis in Crucem brachijs, & cruribus, ſpiritum Deo reddit, die 11. Oct. ann. 1592. ætatis 58.

Statura, & totius corporis forma.

Proceræ ſtaturæ potius quam iuſtę fuit, graui, ac ſanctitatem ſpirante aſpectu, facie oblonga, macilenta, hilarique, lętitiam quandam pręſeferente etiam poſt obitum: maiuſculis, ac cęſijs oculis, alta fronte, naſo moderato, colore ſubruffo, barba modicè promiſſa, caneſcente capillo, longis manibus, toto corpore integro, decoro, ac venerabili.

Luctus, & funeris præparatio.

Ad triſtem nuncium tranſitus lugubres campanarum ſtrepitus, communeſque populi eiulatus perſonuere, deflentis acerbum interitum integerrimi Epiſcopi, & optimi Patris, quocum commune omnium ſolamen, ac delitię interijſſent. Dum comparatur funus, mortuo pectus diſſecatur, exenterantur viſcera, fętore omni, ac ſitu carentia, atque adeo olentia ſuauiſſimè, quę Calozzi in Eccleſiæ loco ſeparato

parato

parato adſeruantur : vnde illius regionis incolę plurima a Deo beneficia ſuſcipi fatentur. Cadauer ligneo loculo rite compoſitum Tanaro, qui in Ticinum influit committitur, Papiam transferendum. Poſt in Aede S.Bartholomæi ad ripam fluminis ſiſtitur, vbi aperto loculo coram Ludouico Bardo Vicario Generali, Philippo Leone Archidiacono, alijſque tum Cleri, tum Ciuitatis Principibus, omni parte integrum, candidum, molle, & ſuaueolens repertum eſt, etſi neque balſamo medicatum, neque vllo odoramento delibutum.

Suaueolẽtia ex viſceribus, quæ Calozzi adſeruantur.

Cadauer Papiam per flumen tranſfertur.

Siſtitur in Templo S. Bartholom.

Effundit ſe ad ſpectaculum tota Ciuitas, & toto biduo procurritur ad venerandi Epiſcopi contemplandam faciem, ad oſcula manuum, ad pedum quoque, & veſtimentorum oſcula, prout certatim liceret, altero alterum premente, alliciente vniuerſos, quæ de corpore mirificè manabat ſuaueolentia. Quibus verò manu corpus attrectare negatum, ijs ſaltem precatorijs coronis contingere pro maxima erat religione; donec tertia die funus indictum eſt, & feretro magnificè adornato cadauer Pontificalibus conueſtitum in Cathedralem, Clero, pijs ſodalitatibus, & ciuibus innumeris, aut pręeuntibus, aut ſubſequentibus, deportatur, eodem fere accurſu, quo nuper Epiſcopatum capeſſens triumpharat. Parentatum fuit illuſtri pompa, magno pietatis ſenſu, cõmunique omnium luctu. Funus coronauit peregregia laudatione Iacobus Antonius Caroleus noſtrę Cõgregationis vir eloquentiſſimus, & olim Philippi Nerij alumnus. Deniq; ſub tertiam noctis horã corpus nouę vrnę incluſum terrę mandatur, in pauimento Tẽpli, ſub gradibus, per quos ad Cellã ſacratiorem iter eſt, impoſito lapide his litteris inſcripto

Concurſus, ac veneratio populi.

Suaueolẽtia ex cadauere

Feretro magnificẽ adornato in Cathedralem defertur.

Funebrẽ orationem habet D. Iacobus Antonius Caroleus ex ead. Cõg.

Terræ mandatur in pauimento tẽpli.

Epitaphiũ.

Alexandro Saulio Clerico Regulari
Sancti Pauli, Alerienſi primum,
deinde Ticinenſi Epiſcopo, doctrina,
& Religione excellenti Collegium Sanctæ
Mariæ Coronatæ Patri, ac fratri B.M.P.
pro illo quod ipſe inſcribi in Corſica iuſſerat.
Alexandri Epiſcopi Aleriæ cineres
vſque ad diem reſurrectionis.

FINIS SECVNDI LIBRI.

DE

DE VITA, ET GESTIS
VENERABILIS SERVI DEI
ALEXANDRI SAVLII

LIBER TERTIVS.

De eius virtutibus.

CVRSIM commemoratis quę de vita,& rebus geſtis Ven.Serui Dei Alexandri Saulij occurrerent , operę pretium erit ex illis tanquã amęniſſimo campo quoſdam virtutum flores excerpere, vnde nobile ſtemma compingatur : quò liquidò pareat, nihil illi defuiſſe quin cum illuſtriſſimis , ſanctiſſimiſque Eccleſię Chriſtianę Pręſulibus ſit comparandus, & ipſa ſacra dignus apotheſi .

Licet

Digitized by Google

Licet enim hactenus relata oſtẽderint,ab incunabulis ad ſenectam vſque Angelicis moribus conſpicuum,præſeferentem puritatem Sacerdotalem, Epiſcopalem vigilantiam, Apoſtolicum doctrinæ ſalem, Regiam munificentiam, benignitatem paternam, Paſtoris laborioſas curas, inuictam animi manſuetudinem, & vt vno verbo expediam, lucem cunctarum virtutum: Attamen huc illuc diſperſa,quod componimus virtutum ſpeculum non ita cito oculis ſubijciunt: præter id etiam quod plurima certam, & congruam in hiſtoria ſedem non habentia prætermiſſa ſunt, in hunc tertium librum reſeruata. Hic tamen monitum rurſum volumus lectorem, non ornatam nos panegyrim, ſed breue duntaxat, & ſimplex hiſtoriæ compendium texere. Porrò initium facient virtutes illæ, quæ humanæ mentis oculos in rerum omnium authorem erigentes principem inter cęteras locum iure ſibi arrogant, dein illas excipient, quæ mortalem vitam inſtruunt.

De

Digitized by Google

De Fide.

CAP. I.

FIDE, quæ in humano intellectu de diuino lumine lumen eſt, Chriſtianę Religionis fundamentum, virtutum baſis, & radix bonorum operum, eximiè irradiatam fuiſſe mentem huius Viri non aliunde petendum eſt nobis, quam ab ijs, quæ morti proximus ore proprio protulit, conteſtatus ſe noſtræ Religionis myſteria tam certò tenere, & cœleſti quadam luce ita comprehendere, vt propemodum timeret, fructum fidei ſibi imminuendum. Luculétum de Alex. fide teſtimonium

Ab ea Fidei Religione, quam puerulus de parentibus, magiſtriſque Catholicis ſolicitus hauſerat, nunquam defecit, caſuuè aliquo aberrauit; omni ętate tum priuatim, tum publicè Eccleſię Catholicę dogmata, leges, ſacramenta, cęremonias, preces publicas, Sanctorum venerationem, cultum ſacrarum Reliquiarum, quibus etiam Oratorium ſuum munierat, cęteraque omnia Chriſtianæ Fidei inſtituta profeſſus. Perſeuerantia in fideī Religione.

Per Fidei diſciplinam, quaſi per aeris media, Solis diuini radios tam viuidè concepit, vt illi vacuum minimè eſſet, mentis aciem ab eius aſpectu dimouere: vnde non raro in ſublimia raptus, intuitu, affectuque toto ad defectionem vſque hęſit immotus. Fidei ſuæ plura argumenta.

motus. Hinc illa credulitas, confeſſioque fidelis eorum, quæ ſunt vltrà humananan fidem, non vltra diuinam potentiam.

Hinc ex perſpicua Dei præſentia timor peccandi in bonum tam amabile; Attentio, modeſtiaque imperturbata in diuinis officijs, & ex eius amore facilis malorum perpeſſio: Inexplebilis ſitis ingerendi vbique, & in omnes agnitionem, amorem, timorem, ac reuerentiam numinis diuini; hinc aſſumptæ annuę luſtrationes Eccleſiarum, inſtitutæ Catheche-ſes, habitæ incomprehenſo numero conciones. Sicut enim ex pulſu vita, ita ex actis innoteſcit Chriſtiana Fides.

Addam, clariſſima perfectę Fidei pignora nobis extitiſſe, conſtantiſſimè tueri ſacrorum librorum authoritatem, Traditiones Apoſtolicas, Canones Eccleſiaſticos, Summorum Pontificum edicta, Sanctorum Patrum dogmata, illaque docere, ac publicè enunciare. Sacroſanctę Tridentinę Synodi Sanctiones ſumma cum veneratione amplexus, primus Alerię in vſum inuexit, Papię firmauit. Honoris, ac ſubmiſſionis gratia frequens ad Summorum Pōtificum pedes contendit, Chriſtum immortalem fide recolens in ipſorum facie mortali.

An repetam quam ſolerter inuigilauerit, vt omni parte ſana, illibataque inter ſuos cuſtodiretur Orthodoxa, Catholicaque doctrina? Scuto Fidei prę-
Scutū Fidei. munitus, immo Scutum ipſe Fidei ad ſui gregis defenſionem, diligentiſſimè cauit, nequa labe impietatis, vel hęreticę prauitatis contaminaretur. Prophanos ritus e Paręcijs Balaneenſibus profligauit: Virum hęretica peſte morbidum vniuerſo adſtante populo, gladio verbi Dei transfodit, virus inſanę doctri-

Digitized by Google

doctrinę euomere, & ad Eccleſię ſanitatem redire compulit: vti prius cum B. Carolo Borromæo pullulantem hęreſim ab inſigni Italiæ Ciuitate extirpauit.

Romæ luculentum Chriſtianæ Fidei, ac Religionis exemplum obtulit in æde Trinitatis ad Pontem Sixti, celeberrimo Conuentu Summorum Cardinalium S.Seuerinæ, Cuſani, Vicecomitis, Matthæi, atque aliorum tum eiuſdem notæ, tum Eccleſiaſtici Ordinis Pręſulum, magna quoque Iudæorum frequentia: qui omnes ad concionem cuiuſdam Alexandri ex Hebręo Chriſti diſcipuli conuenerant. Is enim vbi ſermonem abſoluit, Alexander noſter, qui fortè ibidem aderat, ſubinde ſuggeſtum, nutu Cardinalium conſcendit, & ex tempore concionem ſuſcipiens egit tanto ardore, & eloquentia, vt Hebręorum non modica turba a patrio inſtituto reſiliens ad Chriſtum ſit traducta. Nam ad ſua limina S.Blaſij de Annulo redeuntem proſequti quamplurimi de Iudaica Synagoga in Meſſiæ Eccleſiam transcribi petiere; id vnum rogantes, liceret ex Pōtificis indulgentia ſuorum bonorum tantum ſibi retinere, quantum ſacroſanctum ius, faſque pateretur. Quod Alexāder poſtera die nullo negocio à Gregorio XIII. impetrauit. Illi autem Iudaicam deteſtati perfidiam, Euangelicam Fidem, Religionemque ſunt profeſſi. Ita fęlici exitu noua Eccleſiæ ſoboles acceſſit, Pontifici, ac toti Cardinalium cętui gaudium immenſum, Iudęis clariſſima fax ad ſalutem, gloria Alexandro immortalis, nobis apertiſſima fidei, & Religionis illius documenta.

Hebræorum aliquot ad Chriſtū conuertit.

Adoleſcens etiamſi probè noſceret fidem inaſpectabilia docentem humano ſtudio minime compa-

Lumini fidei ſociat Theologicas notiones.

rari: attamen ipſius radijs humanarum quoque litterarum, præſertim ſacræ Theologiæ lucem ſociauit, quarum illuſtratione nonnihil ſibi præferret ſplendoris ad arcana profunda fidei facilius aſſequenda. Tantumque in eo ſtudio profecit, vt ſcientia gloriam prẹſtantiſſimorum hominum ẹquauerit, nulluſque inter Principes Theologorum ſui temporis ſit illi anteponendus. Vtique procliuiorem in litterarum ſtudia voluntatem impreſſerat Deus, vt his adminiculis obſcura Sacramenta doctrinæ Chriſtianẹ, & caperet facilius, & explicaret planius. Doctrinæ fama eò illum extulit, vt ab Hippolyto Rubeo Epiſcopo Papienſi, & a Carolo Archiepiſcopo Mediolanenſi in gradum proprij Theologi fuerit aſſumptus, & ad eius oraculum vndequaque deferrentur dirimendẹ queſtiones.

Cata-

Catalogus Operum ab Alexandro editorum.

CAP. II.

PROPRII ad hęc ingenij monumentis Rempublicam Chriſtianam mirificè iuuit, vbi pietas fidei documentis, & hęc pietatis luce corroborantur. Abs re non erit, neque a propoſita ſcribendi ratione alienum, recenſere quę ille ſucceſſiuis horis confecit opuſcula Chriſtianę Religionis, ac eruditionis plena, quà calamo, quà Typis commiſſa; quibus tam populo, quam Sacerdotibus, ac Clericis, quę ad ſalutem cognitu neceſſaria ſunt, comprehendit.

Prętcr Litteras Paſtorales initio ſui miniſterij, & deinceps paſſim Apoſtolico ſpiritu dictatas ad Eccleſię ſuę Clerum, populumque commonendum, & ad pietatem inflammandum, librum quem Breues inſtitutiones doctrinę Chriſtianę inſcripſit, ſemel ac iterum auctas, pręlo edidit.

Volumen item Synodalium Conſtitutionum.

Edicta, pręſcriptiones, & monita varia.

Compendioſam inſtructionem pro ordinandis, ac pro ijs, qui pœnitentium confeſsiones eſſent audituri.

Tractatum de diſciplina Clericali.

Horum plurima collegerat ille ex diutina inſpe-

Hæc documenta vnde collegerit.

ctione ſuę Diœceſis, a qua abeſſe accidit raro, idque parumper: Paſtorem enim, aiebat ille, quam minimum decet a grege ſuo abſcedere: Quædam ex veteri vſu, ac diſciplina B. Caroli: Multa ſuggerente etiam zeli perſpicacitate; præcipuè autem ex immiſſo deſuper lumine, & afflatu Spiritus Sancti. Collecta, & maturè digeſta, Typiſque tradita, Clericis, alijſque vltrò, ac gratuitò largiebatur, vt ea commodè meditari, & in vſum inducere nemo non poſſet: Pro ſummo laborum præmio, proque maximo ſui æris fęnore ponens animarum ſibi creditarum ſalutem.

His adiecit Doctrinam Cathechiſmi Romani in Dialogi formam libello redactam, quem cum alijs opuſculis ſe litteris mandaſſe dicebat, vt quæ fusè in Sacri Concilij Tridentini decretis, Romano Cathechiſmo, & S. Thomæ doctrina traduntur, ea breui methodo, facilique dicendi ratione ediſcenda rudioribus proponerentur. Placet hoc loco adnectere quod de hoc poſtremo libello Franciſcus de Sales Gebennenſis Epiſcopus, omni ſcientiarum genere excultiſſimus, Paſtoralis curæ laude, & pietatis gratia ſingulari commendatiſſimus aliquando ſenſit. Is enim rogatus a ſuis, Cathechiſmum Romanum in dialogos, & linguam Gallicam conuertere, reſpondit, luculenter id ab Alexandro Aleriæ Epiſcopo perfectum, nihiloque opus eſſe, niſi vt Gallico idiomate reddatur.

Ven. Serui Dei Franciſci de Sales commendatio libri Alexandri.

Extant & alia nonnulla huiuſcemet authoris manuſcripta opuſcula, ad communem populi Chriſtiani vtilitatem exarata, eandem eruditionis, pietatis, & curæ Paſtoralis ſpeciem referentia, quæ tamen inchoata, ac potius velut indigeſtam congeriem

geriem

geriem dicendorum reliquit, vt ſanè mirandum ſit, qui potuerit tanto curarum æſtu, & ægra valetudine exagitatus tam multa, aut legere, aut ſcribere. Ea ſunt.

Compendium Theologicum, in quo præmiſſis aliquibus ad Sacræ Scripturæ intelligentiam, præcipuę difficultates Theologicæ explicantur.

De vera hominis fęlicitate libri quatuor.

De Chriſtiana Religione libri quatuor.

De Iuſtificatione Tract. 1.

Alius de Officio, & Moribus Epiſcopi.

Alius de Officio, & Moribus Sacerdotis Parochi.

Alius de Cambijs.

Cathechiſmus latinè conſcriptus.

Adnotationes in octo primos Pſalmos Dauid.

De ijs, quæ loquitur Deus ad animam fidelem, in illa verba Pſalmi 45. Audi filia, &c.

Sermones varij tam de tempore, quam alijs anni ſolemnitatibus.

Præ-

Prædictiones.

CAP. III.

PRAESTANTIAM fidei eleuat præſagiendi facultas, euẽtibus confirmata. Non enim inter tot diuinæ prouidentiæ dona prophetiæ ſpiritu caruiſſe putandus eſt, qui reipſa diuitem ſe eo numine oſtendit. Taceo, non inaniter ſpem concipiendæ ſanctitatis ex ingreſſu Religionis ſibi aſſumpſiſſe, & Patres pręmonuiſſe iam tum adoleſcentem; inque rem veram omen illud proceſſiſſe. Sileo, pollicitum indubitata fide alumnis Seminarij, famuliſque ſuis peſte infectis, eorum neminem opprimendum fore; Aſtulpho famulo ex veneno cotagij inextremis conſtituto dolorum ceſſationem, proximamque incolumitatem; Ioanni Baptiſtæ Montio febre æſtuanti, & iam moribundo promptam ſalutem; eaque omnia, vti prædixerat fęlici exitu comprobata. Mitto naufragantibus perſępe ſocijs præſagio ſuo, quo ex ipſis neminem ſubmerſum iri promittebat, ſpem animumque erexiſſe, & ſerui ſui dicta, ne in falſum abirent, præſenti auxilio Deum firmaſſe: Ticini inter fauſta triumphi nonne lacrymis, & oraculo notauit exitus ſui metam intra anni periodum? Sed hæc antiquæ iam exempla narrationis excipiant noua.

Nauigabat ille ineunte anno 1581. Genuam, reli-

reliquum terreſtri via ad limina Apoſtolorum confecturus; fluebatq; fęlici curſu per maris tranquilla nauigium, ſereno cœlo, flatu ſecundo, cum Alexander ex aliquantula precatione ſe erigens ingruere procellam præſaga mente proſpexit, monuitque nauicularium vela colligere, & ad littus reducere. Hic vt cernebat ſilere ventos, deterſum nubibus Cęlum, & omnia in ſumma malacia compoſita, deriſit viri timorem, Taleſque ſibi ſemper exoptari, auſus eſt dicere, procellas. Rogitante tamen Epiſcopo, morem ſibi hac vice geri citiſſimè, ne poſtea deſit ſubterfugio tempus: Nauicularius rogantis authoritate, & reuerentia magiſquam periculi metu exoratus, nauim ad littus impulit. Vix illa radices contigerat, cum inauſpicato fremitu imbrium inundatio, ventorumque turbines tanta vi fluctus commouere, vt niſi obortam tempeſtatem monitus tum primum deuitaſſet, ſubeundum foret ſine dubio naufragium. Nautæ, ſocijque omnes fęlicem euentum in preces, ac vaticinium Alexandri ſecundum Deum refundentes, acceptam ei vitam debita cum gratiarum actione retulere.

Procellã prę ſagit. eo præmonente euitatur naufragium.

Bartholomæo Mucantio Oppidi Ceruionis incolę pecuniam Oratorij S. Crucis per vim, & nefas retinenti, cum propterea Deo vltore facultate greſſus planè deſtitutus exiſteret, vaticinans imperauit Alexander, Quam fraude publica, & ſacrilego peculatu auertiſti, & penes te redegiſti pecuniam, ocijſſime reddito, & e veſtigio, cuius merito iacturam feciſti, redimes inceſſus libertatem. Ille ſimul & pecuniam reddit, & priſtinum recipit vadendi vſum.

Barthomæo Mucantio ſanitatem ex alieni reſtitutione prædicit.

Mediolani perilluſtrem, optimamque fęminam Hyppo-

Hydpolitæ Brippiæ incolumitaté futuram in die Purificationis B. V.

Hyppolitam Brippiam ſororis filiam obſtinata febri grauiter, diùque agitatam frequenter inuiſens, tandem euaſuram in die Purificationis B. Virginis minimè dubitanter iacenti aſſeruit: prædictionis veritatem experta eſt, prẹnunciato die, incolumitati priſtinæ fẹliciter reſtituta.

Præuiderit ne abſoluendum, an verius ære ſuo abſoluerit ſuſceptum opus ædificiorum apud Franciſcanos Campilaurei, in dubio mihi eſt. Nam, cum Cœnobiarcha illc ſemidirutam, ac vndique collabentem domum Prẹſuli, qui illic frequens aderat, oſtendiſset, ac reparandæ neceſſitatem, ſimul & inopiam, conatus item ſuos, & animi ſolicitudinem expoſuiſset: Is caſum commiſeratus, animo, inquit, ne deſpondeas: Hoc ipſo anno antea inſtitutum opus abſolues, quam Prẹfecturæ tuẹ curriculum. Idque facto eſt comprobatum, Epiſcopus enim curam ẹdificiorum cum Cœnobij Oeconomo diuidens eodem anno fabricẹ faſtigium impoſuit. Vnde congeſta pecunia, quonam modo feſtinata res, non noſse fatetur Cœnobiarcha, impenſum tamen plus mille ſcutorum ait.

Putamus, & aliàs ſẹpe, Deo innuente, res futuras viſu, dictoque prẹcucurriſse, quẹ eodem volente ad fines deductẹ ſuos, ad nos tamen ſcripto neutiquam peruenerunt.

De

De Spe.

CAP. IV.

COMES germana fidei cohæret ſpes, mortalium animos inappetentiam, & expectationem ſummę, æternæque fœlicitatis erigens, igniculus humana corda perpetuò adurens, donec in illa beatitatis ſphęra collocarit, quam diuina benignitas libero, ſed minimè fallaci promiſſo ſpopondit; multo licet ſudore, ac virtute conquirendam.

Oculo fidiſſimæ ſpei, & anhelanti pectore ſublime illud, & incomparabile bonum, in quod noſtra omnium confluunt vota, intuens Alexander conſtantiſſimè ſemper credidit ſibi diuina clementia obtinendum; in id omnem quoque operam coniecit: Agricolarum more (quod ſuadebat Iacobus) qui ſpe oriundæ, & colligendæ frugis ſemina dant terris, arua operoſi excolunt, laborum faſtidia expectatione fructuum demulcentes.

Sperat a diuina clemẽtia æternam beatitudinẽ.

Iac. 5.

Qui dicto fidem quærit, vitam recolat, cernetque bonis fęcundiſſimam operibus, quibus ad cœleſtia pręmia paratur via. Iuuentutem duxit innoxiam; carnis irritamenta ablegauit; irrationales animæ motus ſtrenuè edomuit; addixit ſe interminatis ieiunijs, aſperrimis corporis caſtigationibus, & orandi aſſiduis contentionibus. Epiſcopus incommodis plus mille ſe deuouit, labores, & agones deuorauit

Quibus præſidijs viam ſibi ſtrauit ad illam.

immenſos; vno verbo omnia, cuncta huius mortalis vitę conſtanter emenſus eſt, ductus ea ſpe, quod tandem æternæ beatitudinis pręmio potiretur.

Indicia ſpei.

Benè ſperatæ ſalutis indicio mihi fuit clariſſimo, non incuti metu, nec horreſcere mortem, imminente caſu, quaſi de ſua ſpe, & operatione ſecurus, propinquo aduentu iudicis, iuſtiſſimè cuiuſque merita ęſtimantis, hilareſceret. In quamcunq; exemplorum partem te conuertas, aderunt memorabilia. Concionantem cum vires deficerent, rem ſibi fore iucundiſsimam conteſtatus eſt, in ſuggeſtu ſi animā effunderet, dum vel vnam auditorum ſeruaret. Ad Elbam nauigans, periclitante nauigio, ſocijſque ſubmerſionem verentibus, animum illis addens aiebat, ſi volente Deo ſub vndis moriendum, moriamur hilariter. In Balaneenſi Prouincia grauiſsima preſſus ęgritudine, de vitæ diſcrimine monitus, ad nuncium non expauit, nec animo concidit, aut vultu palluit, ſed magna in Deum fiducia, malum perferens, ad extrema ſe lætiſſimus parauit. Fugam ab Epidimia ſuadentibus amicis, conſilium flocciſecit: ſalutem Paſtoris, ſubijciens, diuinæ incumbere prouidentiæ; Cęterum ſi peſte contingat emori, alacriter moriendum. Denique exceſſurus ab huius vitæ ærumnis, vbi deſinere intellexit periodum ſuæ mortalitatis, optati exitus nuncium lætabundus accepit: Interrogatuſque aliquanto poſt ab hoſpite Hercule, vti ſe haberet, hilaris intulit cum Iobo, *Expecto donec veniat immutatio mea*: non ea vtique ſola mutatio, qua de vita declinatur ad interitum, ſed qua ab interitu reſurgitur ad vitā. Tenuioribus hiſce actis me diutius inſiſtere non patitur, quod poſtremis vitæ ſuæ momentis edidit ſperatę

Iob. 14.

ratę fęlicitatis ſplendidiſsimum argumentum . Quo namque momento mortalium animi recordatione maleactæ vitę, terroreque diuini iudicij acrius torquentur, eo Alexander hilaritatis, & ſpei plenior apparuit, Cœlique portum ipſe ſuſpiciens amicos
„ collacrymantes conſolans, ita affatus eſt. Ne me
„ quęſo fratres, filijque mei, lugeatis, ne fletibus
„ proſequamini. Ego vti ſpero, clementia diuina
„ fretus, ad ſempiternę vitę propero gaudia. Neſcio an firmioris ſpei elogium illuſtrius proferri queat.

Porrò nullus temeritatis, promptioriſuè arrogantię dictum propterea damnet; nam pręter id quod ad mortem ſe hilariter progredi ſpondet ſpe diuinę clementię innixum, non proprio merito: certò credendum eſt, nil malè perpetrati apud eum reſediſſe, quo iuſta ſenectus accuſaretur, vel conturbaretur fiducia, cum longè antea, quęcunque illam poſſent conturbare, & viam Cœli intercludere ſumma vigilantia remouiſſet, labes peccatorum, vitiorum laqueos, retia deliciarum, ſpiritus elationem, ſui fiduciam, agendi torporem, cętera demum omnia, quibus aditus in Regna Cœlorum obſtruuntur. Sanè de vitę, morumque ſanctitate Alexandri extat pręclarum illud Ambroſij Rotuli teſtimonium, quod cum ſe ſe ex quotidiano vſu ad Tribunal pœnitentię reum proſterneret, cuius ſe errati incuſaret, nullum interdum ſuppeteret: tanta erat vitę innocentia, tanta cordis mundities, & nitor conſcientię. Fundamẽta fiduciæ.

Sed ne ſibi pluſquam liceat arrogaſſe videatur, quęſtionem hanc, dubiumque omne ſoluit ſacrum viaticum mox ſumpturus, Chriſtum ipſum alta ſic
„ voce allocutus. Heu Domine mi Ieſu, delictis,

„ flagitijſque meis, fateor, fulmina iracundię tuę,
„ atque æterna ſupplicia plus millies promerui.
„ Verumtamen aliquid melius a tua benignitate
„ mihi ſpondeo. Quicquid habebas ſanguinis hi-
„ lariter in gratiam humani generis profudiſti, an-
„ non ex tanto guttulam vnam in beneficium ani-
„ mæ meæ? Ita planè ſpero, id ſperare perſuadet
„ mihi miſericordia tua.

Inſignes actus fiduciæ in Deum, & opem diuinã.

Verum quia homo Chriſtianus ex recta fiducia coronam æternæ fęlicitatis a Diuina bonitate ita ſperat, vt etiam auxilia, quibus illam adipiſcatur, ab eadem expectet, Alexander ſuomet penitus diffiſus, omnem in diuinis auxilijs ſpem poſuit. Ea munitus ardua aggreſſus eſt, perfecitque magna, timida nunquam diffidentia pulſus ab honeſtis. Inter laborum, & curarum procellas anchora ea firmante perſtitit animo tutus, tranquillus, & hortatu Apoſtoli, ſpe gaudens; ſed in mediũ acta prodeant. Religioſa ambienti caſtra cum obiectaſſent Patres Cœnobij moleſtias libero, & delicatulo iuueni duriores fore, ea omnia deludens fidentiſſimè reſpon-
„ dit, non iſthæc mihi negocium faceſſunt, Patres,
„ neque ab hac paleſtra ipſe deterreor. Nil mihi,
„ nil virtuti meæ polliceor: Quod quæro, quod
„ ago, Deo fretus ago, cuius ope, & veſtra ſimul,
„ id aſſecuturum me ſpero, vt aliquando Sanctus
„ euadam. Quid vltra dici, excogitariuè poteſt?
Audi quantum eius fiduciæ inſitum haberet animo inter angores Alerienſis adminiſtrationis, vt armatum ſpe diuini ſubſidij pectus aduerſus horrida quęque gereret. Scribens ad Præpoſitum S.Barna-
„ bæ. Nihil vnquam eorum, ait, quæ mihi de Dei
„ manu incident, accipiam triſtis: ſi me in peſti-
len-

„ lentiori angulo Corſicæ demorari cogat, ex ani-
„ mo ſequar, certus vbique mihi propitium, &
„ patronum fore numen illud benigniſſimum,
„ quod nouit ſuis queque vijs, ſibique placitis ra-
„ tionibus in deſtinatos fines deducere. Itidem
cum Papienſis Eccleſię parecias luſtrantem, iamque laboribus victum ab operum ardore remouere conniterentur domeſtici, ac hortarentur reſpirare parumper: Contra ille optatiſſimum ſibi dixit, in cultu vineæ ſuæ vitam finire: velle Chriſtum, milites ſuos in gradu, manus conſerendo, mortem oppetere, & victoriam parere. His paucis calamum contineo, ne alioquin vitam ipſius vniuerſam hac iterum in pagina reponere videar, quandoquidem totus vitæ curſus, hominis operoſi, & Deo fidentiſſimi curſus extiterit.

Fiduciã ſperantis bonis euentis approbat Deus

Benè ſperantis animum patentibus prodigijs cõfirmauit ſępiſſimè cœleſtis protectio, Alexandrum, eiuſque ſocios de contagio, de naufragijs, alijſque vitæ humanæ periculis ſurripiens. Prænarrata ſepono: hoc vno planum facio, cui perſimile eſt, quod prope Elbam nauiganti paucis ante annis obuenerat. Non procul ab Inſula Canaria (vulgo Gorgona) nauigio Roma Liburnum cum veheretur, commotis ventorum impulſu, nymborumque denſitate fluctibus, nauis inter vortices aquarum, & arietantes fluctus per horas duas colliſa, iam iam medijs in aquis euertenda, & abſorbenda luctabatur. Inops conſilij moderator nauigij, quò verteret, ante an retro ignorabat; Nautæ ferocem procellam horreſcentes de ſalute actum clamitabant. Rem tacitus inſpicere Alexander; ſeque in longas, & feruidas preces proſternere, vnde poſt multa

Præcipuè ſedata tempeſtate ad Inſulam Canariam.

cum

cum animi ſerenitate, ac conſtantia erectus, Deo, inquit, fidite filij, eruet periculo Deus. Mirabile, dictu, & pene vltra fidem veri, ipſo verbi momento ſilere venti, ceſſare imber, ſedari mare; ſurgenteque Fauonio Liburnum proſpero curſu, ac in Corſicam traijciens Epiſcopus cum ſocijs ſaluo in portu collocatur.

De Charitate erga Deum.

C A P. V.

HAEC dum perſequor, profert ſe, præferrique ceteris petit charitas, parens, ac Princeps virtutum, qua afflante illas concipimus, imperante parimus. Si rectè iudicemus, cuncta quæ dixit, fecitque Alexander, æſtuantem eius proloqui charitatem fatebimur: cum arcanum mentis interpretentur opera.

Præludia ad comparandam charitatem.

Deum Opt. Max. vt corde perfecto, conſcientiaque pura diligeret, carnales illecebras a ſpiritualibus gladio recti iudicij diuiſit; rerum terrenarum amorem omnem peſſumdedit; ſeculo dorſum vertit; celibem, ſolitariamque vitam prætulit; rerum cœleſtium ſtudio, ac contemplatione ſe totum immerſit, quo propius de ſphæra illa ignis æterni, qui ſpiritus beatos ſuauiter accendit, accenderetur. Veritus autem, ne aliquando ab eo ardore tepeſceret, flam-

Digitized by Google

flammam illam crebris actibus, vt oleo lumen, enutrire, & ad quendam exceſſum inflammare intensè perſeuerauit. Hinc fames illa inextincta, de diuino numine ſermocinari, in cunctis obſequi, aſpera in eius gloriam perpeti, illatas Deo iniurias, ſibi illatas putare. Hinc ardor peruigil longè, latèque propagandæ gloriæ, cultuſque diuini; Prædicationes innumeræ, inſtituta Sacerdotum Collegia, Seminariorum Academiæ, vnde futuris temporibus ſuccreſcerent diuino miniſterio Sancti Sacerdotes. Charitate Dei vrgente appoſita Templis ornamenta, ablegatæ ſuperſtitiones, reparatus cultus feſtorum, & eiuſmodi plurima, quæ quaſi fauillæ de incendio pectoris illius prorumpentes, amorem, timorem, & cultum diuini Numinis proderent, atque in alijs incenderent. Indicia charitatis.

Audiamus ſi placet de charitate diſſerentem in Epiſtola paſtorali, qua ciues Papienſes ad eam virtutem blandè excitabat. Tertium, inquit, quod
„ a vobis exigit Deus, eſt, Cautos, ac ſolicitos co-
„ ram eo ambulare. Hoc ſolicitudinis parit chari-
„ tas. Ita enim natura comparatum, eaque prima
„ amoris lex, vt qui alterum diligit, curioſius inue-
„ ſtiget, curetque ſtudioſius, quæ dilecto grata, &
„ chariora ſunt; horreat, quæ illi inuiſa, & exoſa.
„ Ex amore pullulat pia cordis deuotio, ideſt pro-
„ na quædam, promptaque animi voluntas in cul-
„ tum, famulatumque Dei; Metus itidem, atque
„ horror offenſæ, iudicijque diuini; Spes in aman-
„ tiſſimum, prouidumque patrem; ſtudium diuini
„ honoris. Amor ad ea loca vbi res ſacræ agun-
„ tur hilares nos pertrahit, ibique ante Maieſtatis
„ æternæ conſpectum reuerentes, ac tremebundos
ſiſtit:

„ ſiſtit: Deditos facit ſupplicando Deo, & ſuppli-
„ catione ipſa mirificè delectat; eius præceptis pa-
„ rere docet, extimulatque ad bonorum operum
„ patrationem. Denique ſi ex inordinata philautia
„ vileſcunt apud mortales, & peſſundantur diuina;
„ Charitas contra, & pietas nouas ſubinde rationes
„ colendi numinis excogitat, efficitque nos celeres,
„ atque alacres, vbicunque detur, venerationem,
„ & obſequium illi poſſe præſtari. Hæc ille: quæ quidem ſicut ſcribebat, ita affectu ſentiebat ipſe, & vſu actitabat.

Sed hæc omnia vnicum Epiſtolę claudat teſtimonium. In recenti adminiſtratione Epiſcopatus Alerienſis cum maximis vndiq; difficultatibus angeretur
„ in hęc verba ad Præpoſitum S. Barnabę ſcripſit. In
„ cunctis tamen, quæ ſupremæ Maieſtati placita
„ ſunt, placeo ipſe mihi: quodcunque genus cru-
„ cis impoſuerit, ex animo geram, illamque etiamſi
„ vnico verbulo excutere poſſim, nequaquam fece-
„ rim, expetens mihi omnia contingere, non ex
„ ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque
„ ex voluntate viri, ſed ex vno Deo, cuius gratia
„ tanto ponderi collum ſubmiſi. Hęc ille. Admirandus ſane conſummatę charitatis vigor, quæ amantis animum ſic ſtrenuè pręparat, & parato tantum roboris infundit. Hęc quoniam in orationis ſilentio, in cura diuini cultus, in miſericordia ad pauperes elucet magis, ad hęc ipſa tranſcurro.

De

De Oratione, ac Religione.

CAP. V.

QVICQVID temporis a ſtudijs, aut alijs neceſſarijs munijs illi ſupererat, id omne precibus, & ſacris meditationibus inſumebatur. De nocte horis quatuor, ad ſummum quinque ſomno, & quieti datis, quibus etiã ſępenumero pſallere, aut cum Deo ſermones interruptos miſcere audiebatur, reliquas ſacris vigilijs, & mentis exercitationibus occupabat. Quotidie ante lucem per horas binas, vel ternas in diuinis meditationibus, & colloquijs ſolus, poſitiſque genibus perſiſtebat immotus domeſtico in Oratorio; vbi nocte intempeſta orans, oculis, ac manibus in Cœlum ſublatis, occluſis feneſtris, amotoque omni lumine, magno circumfuſus ſplendore aliquoties repertus eſt, ingentique cum ſtupore viſus a miniſtris, qui hæc, & alia iureiurando in iudicio legitimè teſtata reliquere. Sępius in horto, vel alibi ſolus inambulans, frequenter etiam dum animi gratia Clericos Seminarij per agros inſtar pędagogi comitatur, oculis in Cœlum defixis, mox nixus genibus, mente in Deum rapta, ita diu conſtitit, vt ad ſe accedentes non aduerteret, alloquentes non audiret, & veſtes trahentes minimè perciperet: quod crebrius in ſuo Oratorio, & publicè in Eccleſijs aſſerunt contigiſſe.

Deditiſſimus ſtudio contemplationis, & orationis.

Orans magnis ſplendoribus coruſcat.

Extaſes frequentes.

Digitized by Google

Quamuis autem diuitias illas diuinæ bonitatis ſecreta animi cuſtodia tegere, quantum poſſet, ſtuderet, vt aſſolent viri ſancti, ne propalatæ deprædationi fiant obnoxiæ: nihilominus id illi haud ſemper liberum fuit: Quis enim Numinis omnipotentis, vbi, quando, & quantum voluerit ſpirantis vim, impetumque retundere queat? Semper tamen reſpuebat hac ſuper re ſermonem induci. Accidit aliquando, vt dum in ſella quieſceret, cœleſtium abſtractus dulcedine humanum ſenſum amiſerit, oculis in altum defixis, palpebris immotis, auribus exſurdatis, ſpectaculum mirantibus domeſticis. Cumque aliquandiu ita hęſiſſet, tandem collectis ſenſibus ſibi redditus eſt. Tum quiſpiam ex illis inquirere auſus, Vbinam, inquit, locorum fuiſti Illuſtriſſime Domine? an inter Choros Angelicos? Is quaſi ſemiſopitus, ſenſu adhuc ſtupente, muſſitans vix protulit, Quid? cum celer, ac indignabundo perſimilis tractim ſe illorum aſpectu ſurripuit: fuga vetans vltra ſibi ea de re verba fieri.

Ad Veſperam per horam ſaltem in idem orationis genus incumbebat. Denique ſanctis meditationibus, precibuſque tam aſſiduus vacauit, vt animo in Deum perpetuo ferri, hilareſcere, atque ardere videretur, poſſetque merito elogium illud Apoſtolicum ſibi vendicare, *Conuerſatio noſtra in Coelis eſt*.

Philip. 3.

Haud tamen ab officijs paſtoralibus, vel ab attentione ijs debita idcirco abſtractus; vt neque turba negociorum a Deo, neque ſtudium contemplationis a muneribus Paſtoralibus illum auerteret: Ita peritus præſenti negocio ſe ſe dare, vt nullo non tempore, vel cum Deo verſaretur, vel aliquid de ſalute

Non tamen abſtractus a curis Epiſcopalibus.

ſalute gregis tractaret. Intelligebat ſe Dei eſſe Legatum in terris, & ad ipſius colloquia frequenter accedendum, vt illum ſibi, populoque propitium redderet, acciperetque quid ſuo nomine eidem populo indicaret: ad populum nihilominus crebrò redeundum, cui diuina mandata & perferret, & perfectè exequi coram edoceret.

Præter hæc familiaria, & quotidiana meditandi, atque orandi Dei exercitamenta, arbitratus ſemper ſe longè abeſſe ab hominis perfectione, per annos ſingulos ſemel, ac iterum, interdum ſępius ab omni ſemotus negocio, totus defigebatur in vitæ, ac morum ſuorum diſquiſitione, vnde exiſteret emendatior, & ad opus Dei feruentior, ijs radicitus amputatis, per quæ ſincera religio ſoluitur,& ijs ſuperadditis, quæ homines in faſtigio collocant ſanctitatis. In Cœnobijs Religioſis potiſſimè iſtud peragebat, vbi ſicut in communi menſa conuiuam, ita de mane ſurgendo, officio recitando, ſilentio ſeruando, ac in omni Statutorum obſeruatione, optimum, & gregalem ſe ſe profitebatur Cœnobitam. Quo tempore apud Baſtitam hoſpitatus eſt, cellulam tanquam nidulum ære ſuo ſibi ſtruxit in Cœnobio Capucinorum, vbi diſtentum curis vitæ actuoſę animum leni contemplationis ſtudio aliquando laxaret; indeque diuino commercio recreatus eandem laborum palęſtram repeteret vegetior.

Exercitia ſpiritualia annuatim bis, ac ter peragit.

Prætereuectus ſilentio ſum, quæ ille Tyro geſſit in Ordine Clericali; quæque inibi Prępoſitus. Ad ea redeo. Rudimenta iam vitæ Religioſæ inter nouitios accipiens, in collatione Patrum rogatus de ſuo ſenſu, quibus adminiculis homines ad Chriſtum rite ſuſcipiendum, ideſt ad culmen ſanctitatis adni-

In Cœnobio agens valde addictus ſacræ meditationi.

ti debeant, Oratione, reſpondit, ſilentio, & obedientia, quibuſcum familiariter, fideliterque aſſueſcere neceſſum eſt Clerico ad perfectionem tedenti. Præpoſitus vero, & moderator ſuæ Congregationis, De apicibus Conſtitutionum, aiebat, aliquid tempeſtiuè relaxare fas eſſe, de orandi ſtudio nefas. Quare quicquid horarum liceret huic officio impendebat ſiue Tyro, ſiue Sacerdos, collegas omnes orandi ardore, atque aſſiduitate præcurrens.

Exigit vtique a nobis ratio hiſtoriæ, vt ad acta priuata deſcendentes, eius veritatis quandam velut effigiem repræſentemus.

Recolit ſolicitè Chriſti Domini paſſionem.

Sacratiſſimos Chriſti Domini cruciatus etſi perpetuo mente reuolueret, per eos tamen dies, quibus Sacroſancta Eccleſia tanti beneficij memoriam, immo & ſpeciem exhibet, profundius cogitato; ac opere ſimili repetebat: Pium animi mœrorem veſtitu lugubri ſocians, ad panem nihil adhibens prętor inconditam pultem ex orizæ farina, corpus ſeuerius mactans, precationibus diutius immorans, quandoque etiam coram ędicula Auguſtiſſimi Sacramenti pernoctans: Ad eiuſmodi agenda verbis, exempliſque ſuam familiam prouocando. Feria quinta in Cœna Domini, ad Chriſti exemplum pauperibus pedes abluere, atque deoſculari aſſueuerat; cibum, potumque manu ſua miniſtrare, & data pecunia remittere. Aſſuetus inſuper in hebdomada ſanctiore pſalterium totum quotidie nudato capite recitare, Sexta quaque feria ad refricandam Dominici ſupplicij memoriam, illius hiſtoriam ex alternis Euangeliſtis piè percurrere, & ſtatas preces de Sancta Cruce quotidie perſoluere. Quocirca fidem excedere nemo ęſtimet, quod morienti,

ti, lectionemque paſſionis auſcultanti cœleſtia ſpectacula (vt ſuadent teſtes auriti) offerrentur, diuiniſque gaudijs exhalantẽ repleuerint,& quod in ea tormentorum commemoratione ſpiritum Chriſto reddiderit, qui ſub ipſis tormentis ſuum Deo Patri commendauerat.

Quo affectu, & obſeruantia ſemetipſum in cultũ, & in obſequium Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis efferret, iam a puero expreſſerat, Patronam adoptans, caſtimoniam deuouens, quotidianam pſalmodiam, litanias, coronam precatoriam, ieiunia Sabati, & Feſtorum eius laudi dedicans. Quæ profecto omnia ſuccedentibus temporibus fuiſſe alijs cumulata, in dubium veniat nemini, qui conſideret Alexandrum toto penitus vitæ tractu cultum eiuſdem Beatiſſimæ Virginis, concionibus, priuatiſque collocutionibus apud omnes inſinuaſſe. Cultus,& deuotio erga B.V.

Angelicis Spiritibus ſuam quoque venerationem reddidit: ſpecialem tamen Angelorum Principi Michaeli, & Cuſtodi Angelo, quem continuo operum ſuorum ducem ſolebat inclamare; fauſtè euentura omnia putans ſi piè, ac ſtudioſè illi obſequeretur, cuius fouebatur patrocinio. Dignus planè cui animam agenti religioſi honoris gratiam gratia ſuperiore illi compenſarent, Angelicæ Maieſtatis decus offerentes, vt creditur, inſpectandum, & tanquam agminibus ipſorum breui inſerendo occurrentes. Erga Spiritus Angelicos.

Religione, honoreque non abſimili Sanctorum, quos Eccleſia Catholica colit, memorias proſequutus eſt, glorias innumeris ſermonibus panegyricis colluſtrauit, profundaque animi reuerentia, & corporis humili ſpecie eſt veneratus, ſolitus eorundem Erga Sãctos, eorumq; reliquias.

tutelæ

tutelæ ſe ſe quotidie commendare, opemque proprijs litanijs, & obſecrationibus implorare. Oſſa, reliquiaſuè religioſo ſemper officio coluit, a Parochis paſſim neglectas honeſtis recondi thecis curauit, nobile feretrum a B. Carolo acceptum in ara maiori S.Barnabæ patenter expoſuit, opere magnifico; exiguas ipſe oſſium partes repoſitas in arcula ad libelli formam ſecum deferebat, coram preces effundens, vt ijs ex conſortione Sanctorum aliquid ponderis accreſceret. Vbi iacerent loculi, vel corpora Sanctorum, illuc e veſtigio venerabundus diuertebat. Si fores obſeratæ, pre foribus genua ponens, hymnoque in laudem dicto pergebat. Haud tenue pietatis in Sanctos argumentum fuit, iterum, ac tertiùm Romam petijſſe, ea potiſſimum mente, vt Principum Apoſtolorum ſepulchra, locaque tam multa ſanguine, ac tropheis Martyrum conſecrata venerearetur. Porrò nullus abibat dies, quin a prandio ſubinde animam reficeret lectione Martyrologij, qua commemoratis Sanctorum geſtis, ac virtutibus, ſuppliciorumque acerbitatibus pro Chriſto obitis, eorum triumphos honoraret magis, ipſe officij admoneretur ſui, & ad conſectanda veſtigia accenderetur.

Studium Sacræ Hymnodiæ.

Hymnodiam iu Cœnobio æquè ac in Epiſcopatu promptè ſemper,& religioſè exercuit; publicam ferè inter choros pſallentium: ex diſtincta enim modulatione, & lenta canendi mora efflореſcere aiebat copioſiora ſenſa pietatis. Vbi tamen ſingularis eſſet, ac ſatis firmis viribus, ibi in genua proiectus, & capite detecto, ob reuerentiã Diuinæ Maieſtatis, quacum illi ſermocinatio. In Odæum ſummo diluculo anteſignanus præibat, aderatque non oculo

vagus,

vagus, non collocutione diſtractus, non corpore languens: ſed decora adeo, & conſpicua oris, ac totius corporis modeſtia, vt inſpectantibus pietatem, & continentiam ingereret. Non eſt cur denuò inculcemus, ipſum reparatorem, ac propagatorem eximium extitiſſe ſacræ pſalmodiæ, & eorum omnium, quibus Dei cultus illuſtratur, quando hactenus enarrata ſatis ſuperque ratum faciant. Conſonam pſallentium harmoniam ſeruauit in ordine ſuo: in Epiſcopatu Alerienſi plures Eccleſias concinendis Dei laudibus refarciuit, Cœtum Canonicorum numero adauxit, vagos in chorum reſtrinxit, Alumnis Seminarij rectè pſallendi artem tradidit. In Ticinenſi nonnullas corruptelas ſuſtulit, & vt ſapienter pſallerent, erudiuit: Sicuti prius Sixtum Negronium Sacerdotem Ordinis Franciſcani fuerat adhortatus, choro pſallentium, vt ſemper adeſſet primus, abiret nouiſſimus.

Porrò integrum pſalterium quinquies in anno priuatim magna animi pietate recitabat, videlicet per hebdomadam maiorem, per octauas Paſchæ, & Pentecoſtes, in ſolemnitate Corporis Chriſti, & in eiuſdem Natalitio: Sæpius verò pſalmos, quos dicunt Graduales. Quæ ſi omnia congeras, comperies profectò, perbellè à quodam de Saulio pronunciatum, quod nullum vnquam finem faceret recitandi pſalmos, officia, coronas, coronulas.

Sacroſanctæ Miſſæ adſiſtere, vt puerulo mos fuit quotidianus, ita Sacerdoti celebrare lex quotidiana, ex inſtituto ſuæ Congregationis, a quo Epiſcopus nullo modo receſſit, niſi itineris difficultate, vel aduerſa, nec niſi graui valetudine; quo caſu intereſſe, ſi morbus ferret, ſatagebat. Sacrum facturus matu-

Ardor, & extaſes in actione miſſæ

matutina confeſſione animam perpurgabat, ſuſcitabatque cœleſtia ſenſa præmeditatione aliqua, prolixa prece, tum lectione libelli De Imitatione Chriſti, quam iterabat peracto Sacrificio: Huius libelli dulcedine, ac voluptate vſqueadeo captus, vt moriens illum ſub ceruicibus habuiſſe repertus ſit; ne ſcilicet vlla vitæ hora tametſi extrema eius lectione abiret vacua. Quo ſenſu animi, ac reuerentia ad Altaris epulum iunior feſtinaret; quibus blanditijs, ac ſuauitatibus Chriſtus deliniret; quantum a gradu ſacerdotali iam grandæuũ deterrerent modeſtia, humiliſque ſui opinio; quo autem apparatu virtutum ad ſacroſancta myſteria initiatus acceſſerit; quo æſtu charitatis adſtiterit, & quam coruſcantibus radijs pietatis primum peregerit ſacrum, non obſcurè in antecedentibus indicatum eſt. Cęterum in dubijs ad Altare veluti ad tripodem pro conſilio, in arduis velut ad arcem pro ſubſidio, in ſecundis velut ad thronum pro gratiarum actione, procurrere fuit illi ſolemne; nec inaniter, Inde enim oracula, animi vires, immenſaque alia beneficia ſupplici emanabant.

Inter hæc myſteria ſæpiſſime viſus in diuina rapi, patique mentis exceſſum. Quamobrem litanti ſibi Sacerdotem illum vnum adſtare volebat, quem maximè familiarem, & eius arcani conſcium haberet, qui diuina patienti Albam traheret, aut premeret cubito, & ſibi reddito, quod in ſacra actione ſequeretur, digito indicaret. His addit fidei non parum, quod de auditis Angelorum concentibus dum Deo vacaret reddunt in quæſtione vitæ non inualidum teſtimonium, qui aure attentiſſima perceperunt, quod nos interea loci ſilentio tegimus.

Quod

Quod Epiſcopus, tam ſtudiosè peragebat ſacrificiorum opus, eidem ſuos ſubditos quotidie intereſſe, cęteros vero diebus feſtis ſeueriſſimè adegit, indolens vehementiſſimè, ſi quem abeſſe contigiſſet, veritus eius omiſſionis culpam aliqua parte ſibi, negligentiæuè ſuæ tributum iri. Exemplo conijce. Villicus collectam pecuniã attulerat Epiſcopo Dominica die, ſed propter viæ prolixitatem ſerius quam vt liceat miſſam audire. Illico Alexander de audita miſſa ſcitatur; eo fatente non auditam; & qui vltra ſacrum faceret cum extaret nemo, indignans, ac multo dolore percitus de offenſa Dei redarguit villicum, Vtinam, inquiens, pecuniam, non te perdidiſſes; ſubinde ſeorſum proreptus abundè lacrymans veniam ſibi, & villico a Deo comprecatur. Retulimus quoque paulò ante, hac ipſa de cauſa ædificatum ab ipſo Sacellum inter rudera Aleriæ, vt præſidiarij milites, viciniореſque ruricolæ beneficio liturgiæ chriſtianæ potirentur.

Pia laicorũ Sodalitia inſtituit.

Quo autem Auguſtiſſimi huius Sacramenti cultus, ſtudiumque magis, ac magis floreret inter ſuos, oppidatim pia hominum ſodalitia hoc titulo inſtituit, vbi ad communes preces, ad hymnodiam, ac ſacram ſynaxim ſodales conſcripti conuenirent: eo præterea conſilio, vt frequentiori vſu eius pabuli, quod concordię, ac pacis ſymbolum eſt, concorditer, ac pacificè viuere aſſueſcerent. Ne vero inſtituti operis cultus, & cęleſtis cibi cupido refrigeſceret, pijs illos monitis erudiuit, & ſanctiſſimis legibus muniuit, exemplo ſuo prouocans; nam quibus in Altaribus palam propoſita viſebatur Euchariſtia ad piorum vota ſuſcipienda, illuc celer tendebat, prolixamq; ibidem meditationem, ac preces trahebat.

Cura ſacrarum cœremoniarum.

Cęremonias aut correxit, aut exoletas reuocauit, aut nouas ad Eccleſiaſticam normam inſtituit. Vt ſacris ritibus iuniores Clerici, rudeſque Alerię Preſbyteri rite informarentur ſtuduit quam maximè, docuitque ipſe ore, manu, exemplo peculiari. Obſeruauit ſedulò, vt ob communes calamitates, in Iubileis, exordio viſitationum, & alijs communibus cauſis publicæ obſecrationes haberentur, conuocatis populis, ac Sacerdotibus, quibus ipſe modum, ſeriemque agendorum veluti Choragus tradebat.

Cultus interior, & exterior Templorum.

Studij quoque ſui fuit Templorum faciem intimam, extimamque perpolire; nihil ſordidum, indecorum, aut loco indignum tolerando, Clericorum, Sacerdotumque incuriam corripiendo, vbi deliquiſſent. Huc non aduocabo iam tum pueruli ſolertiam in componendo domeſtico larario, æditui impigram diligentiam in curanda æde S. Barnabæ, inſtauratam ædem noſtram Papienſem, perfectam opere, & auro obductam interiorem faciem S. Barnabæ, erectas aut in meliorem formam redactas Eccleſias in Corſica, expenſa vno die aureorum millia duo comparandis veſtibus, ſerico, auro, argentouè contextis, quas Diœceſis ſuæ Eccleſijs, prout magis indigerent, dilargiretur: Egregia vtique Religionis ſimul, & liberalitatis teſtimonia. Compendio dicam, vix vnam, aut alteram ædem enumerari in Alerienſi Diœceſi, quæ non aliquod beneficiũ ab eius liberalitate acceperit: Vſque adeo apparandis pro Dei cultu Templis, Aris, Sacerdotibus erat addictus.

Quam

Digitized by Google

Quam magni orantis effectus.

CAP. VII.

STYLVM hic noſtrum cohibet Pontificiæ legis obedientia, noſque ne vltra calamum inferamus in deſcribenda miracula monet Religio. Verum cum prodigijs æqualia fere ſint quęcumque egit, dixitq; Ven.hic Dei ſeruus, miraculorum merita ſeponentes, tradere duntaxat quæ pręſidio orationum admiranda perpetrauit, in animo eſt, ne ingratum nimis ſilentium obeamus.

Pluuia impetratur.

Cum toto veris decurſu,inclinante iam Maio anni 1581. Cœlum nullis adhuc pluuijs arua lætificaſſet, telluſque ipſa ab aquis ieiuna ſterilitatem frugum minaretur maximam,Inſulani ad opem benefici Paſtoris confugiunt dolentes. Is nunquam non pronus ad afflictorum ſolatia, continuò publicam ſupplicationem indicit, ducitque ab ęde Cathedrali S.Franciſci, ſatis inde diſſitam, iubens interim afferri ſibi a famulo pallium. Illic populo per feruidum ſermonem excitato ad criminum pœnitentiam, ipſe ante aram prolixius, multiſque cum lacrymis orans, expetiti beneficij compos ſurgit. Namq; ſereno prius,& nitido Cœlo,Ecce tanta extemplo aquarum eluuio totis tribus horis ingruit, vt prius quam Templi limen euaſerit concio, qua-

Digitized by Google

quà verſum campi exundauerint: Sed opportunè Antiſtes pallio obuolutus ab aquis protectus eſt, madente vniuerſo populo. Quo anno vberrima, ſi qua vnquam, collecta meſſis.

Auertitur grando.

Inſequente anno 1582. hoc precum ſuarum beneficium traditur inſigniſſe altero. Nam cum præcipitante de Cęlo grandine deuaſtarentur miſerum in modum erumpentes gemmæ arborum, atque ſegetes herbeſcentes, vnde videretur alimenti ſpes omnis ablata, Alexander communem caſum commiſeratus, prę́ſidio deprecationis ad Deum ſuæ grandinem repreſſiſſe dicitur. Cereoque rite initiato, quem manu tenebat, iterata ſigna Crucis opponendo quaſi perterritas nubes fugauiſſe ocyſſimè: ex quo mutata Cęlorum facie, gratiæ Deo, & Epiſcopo immenſæ ſunt actæ.

Corſicam à Turcarũ deprædatione ſeruaſſe æſtimatur.

Magna quidē hęc orantis virtus; ſed longè maiori prodigio vniuerſam Corſicam a Turcarum deprædatione ſeruaſſe, communis eſt apud Corſos opinio. Duo ſuper viginti Triremes prędonum Mediterraneum percurrentium, eam primum Corſicæ partem, quæ Ceruionem ſpectat, inuadere, indeque Epiſcopum ingenti ęre redimendum abducere ſtatuerant. Iamque ſub Incolarum aſpectu ſtabant nauigia, cum Archipyrata nefarius, Iubęregię (vulgo Algieri) Rex, de claſſe emiſit, qui exploraret qua parte tutior pateret per tenebras deſcenſus in Inſulam, & facilior depopulationi locus. Impendentis periculi fama exterriti domeſtici Prę́ſulis, cum incolis fuga ſaluti conſulunt, & oblato equo Epiſcopum
„ ad eandem ſtimulant. Renuit ille obijciens, Pa-
„ ſtori ſubſiſtendum eſſe ad gregis tutelam: Caue-
„ te ipſi vobis, vt poteſtis: Epiſcopo perfugium ſit

mons,

Digitized by Google

„ mons, ac turris orationis, quo a propugnaculo „ pyratæ trudentur. Igitur in genua procumbens, magna ſpiritus contentione omnipotentiam cœleſtis Numinis obſecrat, vt barbarum prædatorem ab Inſulæ direptione auertat. Vix emiſſo voto ſurgit, metum ab adſtantium animis profligat, conteſtatus diuinam clementiam in patrocinium Chriſtianorum validiſſimè propendere. Spem non eluſit Alexandri vaticinium. Exploratori etenim aduerſante Deo, aduerſante vento, neque datum littora Corſicæ contingere, neque ad Præfectum Claſſis tunc reuerti. Totaque illa Pyratarum turba precibus Alexandri magis quam ventorum impetu illis oris abacta, indemnem, & intactam Corſicam reliquit. Oborta deinde inter Barbaros ſæua contentione, Rex Nauarchus tanquam Diuinæ vltionis exequutor, patibulo affixit exploratorem, qui nefario auſu ſacrilegam manum Epiſcopo inijcere, & in vincula traducere molitus fuerat. Id quod ex tribus Chriſtianis de catena, ac triremibus Turcarum aufugientibus acceptum multam apud omnes, ipſos quoque iudices, fidem habuit. Certè abeuntibus pyratis non leuia naufragij indicia apparuere, dum exaſperato mari vela facientibus, diſperſæ paſſim tabulæ, lignorumq; fruſta in littora eijciuntur. Quod genus prodigij nonniſi Alexandri meritis poſt Deum, adſcriptum vulgo fuit.

Illud etiam clariſſimæ efficacitatis, quod in vitæ quæſtionibus narrant de Sanctimoniali Energumena. Vexabatur illa tetro, truculentoque dæmone, qui ſpretis exorciſtarum omnium aſtibus, atque imperij, horribili, atque implacabili iactatione miſellam diſcruciabat. At vbi deprecabunda,

Energumenam liberat. dæmones aſpectu territat.

da ſe proiecit ad Alexandri orantis pedes, vt ſubleuaretur, primum furens dæmon cohibitus fuit, tum ſubita, occultaque vi precum illius correptus, & quaſi verberibus mactatus e veſtigio concidit, ſilentium cępit, & quietem; obſtupentibus quotquot aderant prodigio. Nec multo poſt energumenam dimiſit. Quid autem mirum orando compeſcuiſſe dæmones, quos ipſo territabat aſpectu? Cum accedente, aut prope tranſeunte Alexandro inſolitis illi ſtridoribus, ac vlulatibus aera complerent. Id quod teſtes iurati confirmant.

Charitas erga proximum.

CAP. VIII.

CHARITATEM in Deum nō ferè magis cognoſci, quam ex ijs quæ ipſius Dei gratia erga homines miſericorditer fiunt, docuit Io. Apoſtolus; Charitatem Dei procul ab eo eſſe aſſeuerans, qui neceſſitatem patienti cum poſſit ſubuenire, pietatis claudit viſcera. Porrò nullum chriſtianæ beneficentiæ opus excogitare eſt, quo non ſe hic Dei famulus gerens viſcera perfectæ charitatis exercuerit. Talibus enim hoſtijs promereri Deum tenebat optimè.

1. Io. 3.

Hebr. 13.

Propenſus in ſubſidium miſerorum.

Commiſerationem non tam ab hominibus didicit, quam ſibi congenitam inter homines aduexit: Egentes ſubleuare bonis antea edoctus, quam bona

ipſa

ipſa diſtingueret. Puerulo neceſſaria ſibi ſubtrahere, aliunde emendicare, atque etiam e domo paterna aſportare ad leuamen pauperum, exordium beneficentiæ fuit. Præpoſitus benemereri de alijs, & ſtuduit auidè, & ſuis commendauit ſedulò. Epiſcopus largitatem tam latè amplificauit, vix vt quiſpiam alius; ita ſeſe Eccleſiaſticis præſcriptis ſubijciens, vt de tripartita bonorum ſumma, alia pauperibus, alia Eccleſiæ, pars minor ſibi, & familiæ contingeret; eſtque captu difficile, qui potuerit ex tenui cenſu Eccleſiæ tam copioſos largitionum fructus expromere.

In Corſica quotannis modios ad minus centum promiſcui tritici, leguminum quoque, ac ſalis cumulos non modicos, peculiari condebat in horreo, ad vſus quotidianos mendicantium, qui dietim ad valuas Epiſcopij ſupra ſexaginta, ac centum alebantur. Egenis tamen pudentibus, ac Sacerdotibus quò verecundiam auerteret, domum occultò ſub noctium ſilentio mandabat deferri edulia, veſtes, pecunias, vel teſſeras nummarias. Vicatim per annos ſingulos apud Parochos tritici aceruos ingentes a decumarum quæſtoribus deponi iubebat, arbitrio Epiſcopi pauperibus diuidendos. Aequam rei frumentariæ portionem ſaccorum centum altero in horreo condebat, pro Seminarij contubernalibus, & horum conſanguineis. Tantundem in tertio pro ſua familia.

Centum ſaccos tritici præter alia annuatim diſtribuit pauperibus.

Sacerdotib. & pudentibus noctu mittit cibaria.

Centũ itidẽ ſaccos cõdit pro cõtubernalib. Seminarij & eorũ propinquis.

Arctiore annona prouidè terra, marique coaceruauit, ære ſuo, quantumcunque poſſet in pauperum alimenta; quadringentos ex illis quotidie, quingentoſque, atque adeo nonnunquam ſexcentos ſuſtentans panibus, quos duobus furnis ſuis coquebat

Longe plures nutrit tẽpore annonæ

bat continuò, vti antea demonſtratum eſt Annis 1579. & 1585.

Vt plures ſublevaret publica inſtituit ædificia.

Cumque in tanta rerum penuria difficili remedio vniuerſorum anguſtijs poſſet occurrere, publicas ædificationes inſtituit, iuſtam mercedem pollicitus pro cuiuſque opera. Quo obtinuit, vt validiores otio non marceſcerent, pauperioribus autem abundantius prouiſum foret, & reſpublica nobilibus ſuæ magnificentiæ emolumentis perenniter frueretur. Inter hęc fictam cuiuſdam adoleſcentioris penuriam detegens argutè deluſit, ne otio faueret, ac vitio. Quippe ſuſpicatus ementitam hominis paupertatem, porrexit rogitanti ſtipem, altera quidem manu fragmen panis, altera nummulos. Inſpexit ille auidius nummos, quam panem; ſed hos capeſſenti, Abi, inquit Epiſcopus, & vtraque palma contracta, Plus, ait, pecuniam eſuris, quam panem: validus cum ſis, pergito ad Eccleſiæ conſtructionem: Ego laborantibus ſatis magna conſtitui commoda. Emphiteuticis verò inopibus debitum renouationis prǫmium (Laudemium vocant) quo maiori illis eſſet ſubſidio, de more ſemper, & liberè remittebat.

Qua arte ementitam cuiuſdam paupertatẽ deluſerit.

Munificentia in Epiſcopatu Ticinẽſi.

Et quoniam huc deuenimus, in hunc ipſum ordinem redigamus, quæ in Epiſcopatu Ticinenſi, breuiori curriculo, non tamen minori magnificentia peregit, ſoluendis licet pẽſionibus coarctatus in non ſuum, ſed in pauperum damna, vt aiebat idem ipſe. Modios farinę triticeę tres in hebdomadarias publicaſque largitiones, ad fores domus Epiſcopalis in pauperes diſpertitus eſt: nemini tamen opem alias petenti, quatenus ſuppeteret, paſſus denegari. Quo primum tempore Miſſam Pontificali ritu fecit illa

illa ipſa in Eccleſia, adſtantes frequentiſſimos ciues ad beneficentiam feruidiſſima adhortatus concione, exemplo etiam vt efficacius commoueret, primus ipſe centum aureos in id contulit, deinde de auditorum ęre tantum ſtipis conflatum, quantum inopię communi ſubleuandæ magna ex parte ſufficeret: Protinuſque contractam pecuniam in tenues, piaſq; familias diſtribuit. Eorum, qui egeſtatem magis quam mendicitatem tolerare parati ſunt, deſcriptum indicem, & plus curæ gerebat. Charitati autem ſuæ tenebras quærens, per electos curatores quatuor viros integerrimos, præſertim vero per P. D. Mauritium Præpoſitum Collegij noſtri Papienſis, ſtatutis diebus pecunias miniſtrabat: verecundantes impellens vltro, audacter vt peterent quibus indigerent; largius etiam interdum quam peterent ipſe impendens.

Cura eorum qui erubeſcunt mendicitatem.

Huc ſpectat quod præter alios contigiſſe narrabat Balthaſar Landinus Mercator Ticinenſis, cuius dextera in ſubſidio pauperum ille vtebatur. Is cum aliquando vereretur, moleſtas Epiſcopo fore frequentiores rogitationes ſuas, cępiſſetque excuſare: Excuſantem placidè complexus Epiſcopus, Non eſt, inquit, fili mi Landine, non eſt, cur vereare in hoc pietatis officio ne mihi importunior exiſtas; nulla potius re mihi gratior es, quia nulla re vtilior. Tum petenti iuſſit binos aureos per eum tradi qui loculos tenebat. Pecunias enim (ſi minutulas excipias quas pendula ad cingulum crumena geſtabat, & manu in pauperes erogabat) neque tractabat, neque noſcebat Alexander. Ille æſtimans plus iuberi, quam præſtari poſſet, mandatum cunctatus eſt. Quod vbi reſciuit Epiſcopus, largiendæ magis

Egregia miſerentis gratia.

quam contrahendæ pecuniæ ſtudioſus, illicò duplum Landino dari præcepit; miniſtri tarditatem geminata ſtipe compenſans. Quod & aliàs feciſſe non ſemel legimus apud eos, qui munificentiam Epiſcopi coram iudicibus iurati expoſuere.

Liberalitas erga Congregationē.

Exigit profecto a nobis debitum, dignumque teſtimonium huiuſce Mecęnatis pia liberalitas; neque enim illum putes, immunem voluiſſe Congregationem, fratreſque ſuos communis charitatis expertes. Annua centena ſcuta, gratam, vt aiebat, Deo eleemoſynam, Collegio S. Barnabæ muneri mittere habebat in more. Centena Modoetienſi ad nouitios alendos. Papienſi quoque complura, ſcholaſticorum educationi. Sed & primordia Mediolanenſis Cœnobij ad S. Alexandri plurimum ſua iuuit pecunia, & Romani ad S. Blaſij de Annulo nunc S. Caroli; quo Romam veniens licet vetuſto, & perexiguo vtebatur hoſpitio, exigua ſemper hoſpitij iura peramplo ſuæ liberalitatis fęnore remuneratus. Inter cętera anno 1591. quo ſumma egeſtas omnis annonę Vrbem, totamque viciniam miſerrimè angebat, deficiente propemodum quouis genere panis, & edulij, vſque adeo vt nonnulli more pecudum corroſis herbarum radicibus per campos, & prata iacuiſſe fame confecti reperti ſint, tantam frumenti copiam e Corſica illo anno feraciſſima exportari curauit, quæ alendis Patribus abundè ſuppeteret. Genuæ inſuper ad telonium S. Georgij tantum pecuniæ collocauit, quantum ſatis eſſet erigendo, ſtatuendoque Patribus in ea Vrbe domicilio. Ita apud ordinem ſuum nullum grati, ac benefici animi opus omiſit. Vt etiam erga alias religioſas familias, vbi commorari contigiſſet, ſeu virorum,

ſiue

ſiue mulierum, aliqua ſuæ charitatis veſtigia benefactis expreſſit.

Ne hic iterum commemorem quam officioſus, quamque profuſus ærarij ſui extiterit inter anguſtias peſtilentię, & quam nimius in ędificijs publico dandis, hoc vno verbo colligo: Quicquid per arctam frugalitatem ſuam, & familiæ tenuitatem de reditibus Epiſcopatus ſupererat, id totum in egenos, tanquam illorum patrimonium, panſa manu diſpertiuit: dolens non poſſe maiora; animo ſcilicet locupletior, quam diuitijs. Lucem ipſam oculorum, & pectoris intima libenter impenſurus, ſi licuiſſet. Quodque benefactis inęſtimabile addebat momentum, Quæcunque ab eo pauperibus data ſunt, prompto ſemper, hilarique animo, & manu data ſunt, vt ſi dona expendas, interdum parua, ſi prærogantis animum, maxima iudices; & Deo, qui hilares datores ſummopere diligit pretioſiſſima.

Quiquid ſupereſt de tenui familia diſpertit in opibus.

Hilari ſemper animo, & manu.

Non parum huic promptiſſimæ, ac lætiſſimæ beneficentiæ conſentaneum eſt, quod in Oeconomum obiectauit. Præceperat referri ſibi de libro rationes ſumptuarias pauperum: hæſitabat ille, metuens ex ingenti cumulo triſtitiam Præſuli obortum iri, monuitque obſtupeſcendum ſenſu, ſi impenſa ad calculos reuocet. Attulit tamen. Tum Alexander ſupputatis omnibus, Quantulum, inquit, hoc eſt? quis metus iſte tuus? quis ſtupor? An ignoras ditiorem me fieri ex hac bonorum, vt putas, iactura? An neſcis exiguos hoſce ſumptus non modo ad fructum, ſed ad fęnus eſſe? partior enim ego commodorum meorum quęſtum cum pauperibus, qui illis vtuntur. Cęterum eorum quę alibi abſumuntur, nihil mihi reponitur lucri. Pro-

Effuſa beneficentia.

næ, effuſæque benignitatis, ac munificentiæ indicium, vbi & quæ tribuis ipſe, & quæ tuo nomine tribuuntur, æqualem ferunt lætitiam.

Conſanguineis nil impertitur. Sed ab eis emendicat opem.

Tantum vero abeſt, de collectis opibus vt quempiam conſanguineorum ditauerit, quin cum ipſi non eſſet quod amplius daret egenis, qui ab amicis, a conſanguineis ne hilum quidē pro ſe poſtulaſſet, ab ijs ipſis pauperum ergò plurima emendicare minimè erubeſcebat. Initio Epiſcopatus Luciæ ſorori chariſſimæ ciſtellam vuarum cum acubus paucis quotannis dono mittebat: Tum arbitratus vtilius beneficentiæ pauperum illud impenſum iri, contraxit donum.

Ergo iure a Pio V. iuſtus Oeconomus & a cunctis Pater pauperū dictus.

Proponantur iam propalam hæc omnia, an dubitabit quiſpiam, Pium V. Pontificem non rectè, ac verè auguratum, cum ſe dixit Eccleſiæ prouentus illi committere, qui prudenter in populi commoda conuerteret? Aut iniquè huic bonorum ſuorum prodigo largitori Patris pauperum cognomentum fuiſſe delatum, qui pauperes liberorum loco, immo liberis, ac ſemetipſo chariores haberet, aleret ſuſtentaret, faceretque ſui patrimonij hæredes?

Alia

Alia Miſericordiæ Opera.

CAP. IX.

PROXIMVM, idque meritiſſimũ charitatis opus ſuccedit ægrotantium viſitatio, & cura: quo in officio quantum celebritatis parauerit Alexander, diſce ex epidimię aliquando ijs in oris graſſantis tempeſtate. Ad quotidiana me contraho.

Aegrorum curationi Medicum perpetuo habuit domi, cum pharmacopolio plenè inſtructo, vnde omne genus medicamenta inopibus nullo pretio expromerentur: Sic de coquina ſua ſorbitiunculæ, ptiſana, decocta, dapeſque teneriores. Aegrotos quotidie inuiſere, amoto quouis negocio, conſueuerat, vt quibus indigerent cognoſceret, manu offerret, aut deferri de domo Epiſcopali curaret: ægritudine preſſos blande conſolari, æquanimitatem, atque conſtantiam inſinuando; vt ſi obſtinatos morbos remouere nequiret, ſaltem verbo, quod erat melle dulcius, leniret. Vergentibus ad occaſum vitæ ſuadere, mortem ſubmiſsè, & fidenter obeundam: vbi adeſset hora, iuuare precibus, cohortationibus, animæ commendatione, ex ritu Eccleſiaſtico, in primis autem ſalutari benedictione. Inopes morte ſublatos honeſta quoque ſepultura ſuis

Aegrorum viſitatio, & cura.

ſum-

ſumptibus tumulare: funus ad tumulum vſque ſua præſentia cohoneſtare.

Attentiori tamen officio domeſticos proſecutus, etſi curationem ſubcuſtodibus demandaſſet, nihilominus ſuam nulla die deeſſe voluit, indigentibus res neceſſarias dextera ipſe ſua admouendo, & fatiſcentibus extrema ſoluendo ad vſque defectionem. Vt ſpeciatim famulo contigit, cui cum ad ſalutem adhibita adiumenta omnia nequicquam fuiſſent, intempeſta nocte dum quieſcerent cęteri, vigilantiſſimus Paſtor de illius exitu extimeſcens, nullo comite iacentem adijt, & propinquæ mortis prognoſtica detegens, agenti animã horis tribus adſtitit, orans, opportunoſque affectus in Deum morienti ſuggerens, donec efflaret ſpiritum.

Maximè domeſticorum.

Splendidum exemplum Epiſcopi.

Reſtitutam nonnullis incolumitatem ægrotos dum inuiſeret, ſuperiora huius hiſtoriæ confirmant. Ad eiuſmodi beneficia pertinet, quod in tranſitu Villæ Carbini contulit mulieri ex aduſtione decumbenti. Huic dum Sacerdos Sacrum Viaticum defert, Alexander mira & charitate, & reuerentia euntem comitatus, ad vſque tuguriolum muliereulæ perfertur, grauiter laborantem ſolatur, iubet ſe totam Deo credere, ac ſigno Crucis benedicit; quo facto illa Dei ope breui leuata morbo eſt: Sanitatem adſcribentibus cunctis benedicentis Alexandri virtuti, ex fauentis Dei opitulatione.

Succedit paterna hoſpitalitas, quæ facile coæquat Alexandrum laudibus, ac meritis Abrahę Patriarchæ, quem laxitate ſinus, brachiorum complexu, & liberalitate ad amuſſim referebat. Omitto quæ in Synodorum conuentibus ad ſuorum Clericorum aduentum magnificè præſtabat; de quibus

Hoſpitalitas, & profuſio in hoſpites.

ſupra

ſupra ſatis. In Corſica de ſuo addidit Clericis Seminarium, infirmis valetudinarium, Canonicis hoſpitia, Templum, Aedeſque Epiſcopis; aduenis autem Religioſis, Sacerdotibus, peregrinis, ac ferè cunctis mortalium illac iter agentibus fores ſuas patere perpetuò voluit, præcipuè vbi deeſſent diuerſoria: quin etiam hoſpitibus gratulans iucundior aiebat, Ne hunc diuerſorij locum reputetis, ſed ſingulorum proprium domicilium. Ad hanc rem ſuperiora domus ſuæ in ſpeciem xenodochij vertit, quoatuordecim lectis, & reliqua ſupellectili congrue inſtructi. Si quando frequentiori multitudini lecti non ſuppeterent, ipſe hilaris commodabat ſuum, in ſtramine gaudens recumbere. Menſam honeſto cibo extruebat, diſcumbentibus miniſtrabat patinas, frequens lauabat pedes, viatoribus calceos, pecuniam, vinum, & quæ ad commeatum opus haberent tam ipſi, quam equi, & iumenta, vltro ſuppeditabat; vt etiam hoſpites ea re obſtupeſcentes incomparandam Epiſcopi hoſpitalitatem nunquam ſatis prędicarent: quamuis nonnullis domeſticorum tam effuſa largitas nequaquam arrideret, improbantibus quod nullum largiendi teneret modum. At ille, quod alias Oeconomo reclamanti, quod totam rem domeſticam perderet, idem & alijs temporibus reſpondebat, De craſtino ſibi haudquaquam cogitandum. Quare vix dati, & accepti rationes inſpexit, ignorauitque pecuniarum nomina, notas, iuſtumque pretium, nec contrectabat niſi vti prædiximus, rogantibus miſeris largiendo.

Oeconomo reclamanti obijcit, ſibi de craſtino haudquaquã cogitandum

In pago Curte beneficentiam patris cum hoſpitis humanitate coniungens parem in vtraque promeruit laudem. Cum enim cibum ipſe ſumeret, &

pau-

Digitized by Google

Pauperes in domum iubet induci, ne dum paratur eſca, aliquid patiantur in via publica.

pauperibus pararetur eſca, ne quid in publica via illis moleſtiæ inferretur, patere omnino portas domus, & eò induci pauperes iuſſerat, donec cibi porrigerentur, panis nempe, pulmentum, carnes, ac vinum. Id quod iureiurando ab oculatis teſtibus confirmatum huc tranſcripſimus.

Turbā Corſorum catenis Turcarū ereptam humaniſſimè recipit, & alit.

Supprimendum minimè putamus, quod in decliuio anni 1571. fertur charitati, & gloriæ Alexandri obtigiſſe. Agebat ille tum publicas Deo gratias de reportata ex Turcis per Chriſtianam claſſem victoria, cum frequens Corſorum turba remis, & ſeruitio Turcarum erepta gregatim ad Alexandri perfugit opem; complectitur illico beneficus Paſtor ſumma voluntate omnes, habet apud ſe humaniſſimè, lautè reficit, & larga ſtipe locupletatos remittit.

Qua benignitate exceperit octingentos nautas e barbaris pyratis aufugientes.

Illud quoque non ſine laude ſingulari adnotatum eſt hoſpitalitatis exemplum, quod is erga octingentos nautas exhibuit. Inuadentibus enim pyratis Cęloces piſcatorum vellentium coralia inter Sardiniam, & Corſicam, hi vitæ magis, ac libertati, quam rei cum proſpicerent, Cęlocibus vltra ſeptuaginta, rebuſque omnibus direptioni barbarorum permiſſis ab illorum vinculis cauentes Ceruionem parant ad Alexandri confugium, quem fama charitatis iam fecerat apud omnes admirabilem. Alexander ad rumorem infortunij, miſerorum aduentum ſtudio beneficentiæ pręueniens, properè hoſpitium apparat, & epulum; præcurſoreſque expedit, qui aduentantibus occurrant, ad epulas inuitent, & in hoſpitium Epiſcopale ducant. Accedentibus it obuius ipſe iucundiſſima fronte, hilari affabilitate, & mira charitate in Eccleſiam primum,

deinde

deinde ſub ſua inducit tecta. Metu, itinere, fame, & iactura quaſſatos ſolatur, de ærumnis huius vitæ mortalis aliquandiu verba faciens docet gratias Deo agere, quod opportunè barbaricam ſeruitutem ipſorum ceruicibus ſubtraxerit. Inde veſcentes vt liberè munificentia ſua vtantur prouocans, Comedite, inquit, filij, comedite, veſtrum eſt quod comeditis, non Epiſcopi: inſeruiebat ipſe diſcumbentibus, introſpiciebatque menſam, ne quid cuipiam de octingentis viris deeſſet. Mane iterum cibo refectis panes, pecuniamque pro viatico tribuit. Acceſſit porrò tantæ liberalitatis pretio, quod illis Baſtitam ad Gubernatorem tendentibus, Alexander præfectum domus eò præmiſit, qui aduenientibus cibos paret, ac de re omni Gubernatorem certiorem faciat, vtque apud illum benè ſint, precetur; qui redeunte Genuam trireme, quæ eundem Gubernatorem in Corſicam aduexerat, ea omnes Genuam traduci curauit. Mira Epiſcopi beneficentia.

Apparet recens modus paternæ humanitatis non reijciendus. Nauiculam agens quiſpiam cum videret prædones ad ſe pleniſſimis velis nauigare, nauiculam deſeruit prędę, dilapſuſque eſt natatu è barbarorum manibus. Verum ſpe recuperandę deſtitutus in eam mentis imbecillitatem, & deſperationem actus eſt, vt iacturam ſubmerſione ſui ipſius reparandam putauerit. Id vbi accepit Epiſcopus, miſerum hominem vt apud ſe diuerſetur inuitat, ad meliorem ſpem reuocat, animi ſolatur ęgritudinem, cibo paſcit, rogatque, eo hoſpitio, & menſa, quoad voluerit, perfruatur. Aliud hoſpitalitatis, & miſericordię exemplum.

Dum tantam Alexandri hoſpitalitatem, ac magnificentiam conſector, offertur quod exemplo pa-

Mira itẽ prouidentia in infantulum morti expoſitum.

rum diſſimili infantulum morti expoſitum clementer ad vitæ vſuram perduxerit. Progrediebatur aliquando Ceruione ad Franciſcanorum Cœnobium, occulta, & agreſti via, comitatus Thoma Georgio domus Præfecto, alijſque de familia. Inter eundum, ecce quaſi vagitus pueruli inſonat. Stetere vniuerſi; aures, oculi tenduntur circumquaque. Conſpexit Epiſcopus ea parte, vnde clarius vox meabat, ab arbore pendens inuolucrum pelliceum ex capra. Ad rem indagandam mittitur Præfectus domus, qui depoſito, & inſpecto volumine, infantulum recens natum reperit: quem ritè baptizatum cum ex appoſito Chirographo conſtaret, Alexander parentum impietatem deteſtatus, proliſque fatum complorans, tradit educandum nutrici, diligenterque curandum, pacta mercede, ac ſoluta quouſque adoleſceret, aut conquiſitis parentibus redderetur. Quod in alio fuiſſet ſuſpicioni obnoxiũ, in Alexandro diluit probata vitæ ſanctimonia; & nullam ipſe extimuit ex humana calumnia notam, ne charitatis deeſſet officio, ſatis conſcientiæ teſtimonio, & patrocinio diuino tutus.

Quid hac in re fecerit Ticini.

Dari Papienſibus totidem charitatis documenta non permiſit breuis illic vitæ tractus; non omiſit tamen omnia. Nam mendicis qui ſede, focis, ac tecto carerent, vitam ſimul inopem, & vagam traducentes, domicilium ſatis heneſtum, ære ſuo conductum parauerat vbi reciperentur, panes in dies promens quibus alerentur, crebroque domum perluſtrans, vt omni parte nitida, & benè compoſita haberetur. Xenodochijs inſuper varijs, pupillarumque Collegio, ſtatas eleemoſynas multorum nummorum in menſes ſingulos erogabat.

Lon-

Nudos veſtit

Longam veſtimentorum pompã explicarent nobis inopes, ſi quotquot ille nudos obtexit in mediũ vocarentur. Sanè Sixtus Negronius ex Franciſcano Ordine confeſſione iurata teſtatur, & ſibi ab Alexandro identidem ſuppeditatas veſtes, ne indecorè prodiret, & Angelo Palenti humaniorum litterarum Magiſtro, ac concionatori prouiſas in annos ſingulos fuiſſe: vt interim taceam Clericos e Seminario, Sacerdotum complures, occultæque paupertatis verecundos inopes, atque peregrinantes, de quibus antea.

Dotem puellis ſubminiſtrat.

Aemulatus Antonij Saulij Aui largitatem, quã ſeruandæ puellarum egenarum pudicitiæ dotalem cenſum indotatis conſtituerat, nonnullis eius ſortis dotem de ſuo ſanciuit Alexander, qua illæ legitimo coniugio ſunt collocatæ. Inter quas iure ſorores geminas rogatu ſuo Bernardinus Rouarinus Papienſis id beneficium adeptas recenſuit.

Cura mortuorum.

Luce meridiana clariora ſunt, quæ pro animarum cultu, & ſalute præſtitit adiumenta, huc iterum non aduocanda: Si excipiantur ſoluta mortuis parentalia, quorum ſubſidio etiam officium defunctorum, aliaſque preces quotidie quoad licuit, recitabat, & in idem Charitatis opus, quod Deo dicebat acceptiſſimum, ſuos continuo adhortabatur.

Vbi aliter nequit, iuuat prece ad Deum.

Cęterum vſitatiſſimum Alexandro fuit, vbi munificentiæ, & largitioni non ſubeſſet res, nec conquirendæ facultas, ad cęleſtes, diuinaſque opes orando confugere.

Digitized by Google

Prudentia.

C A P. X.

Quibus prudentiæ partibus enituerit

PRVDENTIA floruit eximia, non ea quidem, quę carnis eſt, quæque terrena ſapit, quærens ipſe quæ ſua ſunt; ſed ea, quæ Cœlo edita mores humanos æquis rationibus moderatur, cœleſtia proſequi, cœleſtia aſſequi docet, honeſtos fines, honeſtas ſimul vias agentibus definiens. Non potuit non prudenter operari, cui continuò diuinarum colluſtrationum affulgebant radij; quem natura ad id quod rectum eſt prona, virtuſque experientijs, & longo vſu confirmata, deducebant. Conſilio ſagaci pollens adęquata conatibus auxilia nullo negocio parare nouerat. Iudicio haud fallaci, a noxijs vtilia cautè diſtinguebat. Solicitudine non pigra, deſtinata rebus agendis adminicula celeriter, conſtanterque applicans. Ad hæc plurimum contulit expedita animi docilitas, qua vbi deficeret proprium, alienum facilis conſilium ſectaretur.

Experimẽta prudentiæ

Huic dicto ea ſuffragantur; quod Præpoſitum agens tranquillè ſemper, communique omnium approbatione Congregationem ſuam direxit, propterea a B. Carolo apud Summum Pontificem Vir maximæ prudentiæ commendatus. Quodque Epiſcopatui Alerienſi tanta præfuerit boni, ſapientiſque regi-

Digitized by Google

regiminis gloria, vt cunctorum ſibi amorem, ac reuerentiam comparauerit, illiuſq; Eccleſiæ tum Clerus, tum populus inſignem Præſulis prudentiam datis litteris ad Pontificem extulerint. Ducibus, ac Senatoribus Genuenſibus tam certò, ac luculenter innotuerant perſpicaces, ac recti ſenſus Alexandri Antiſtitis, vt nihil alicuius momenti a Præfectis Inſulæ tentatum vellent, eo non approbante. Nullam porrò (quod admiratione digniſſimum eſt) cum Republica vnquam habuit de Iuriſdictione controuerſiam; tanta fuit Epiſcopo prudentia. S. Carolus alioquin ſanę, alteque mentis Pręſul hunc adminiſtrationi ſuę Conſiliarium adhibere fęlicitatis loco duxit, quippe cuius animum integerrimum, & diuini conſilij vim probè cognouerat.

Maximam prudentiæ laudem parauit ſanctiſſimis conditis legibus ad benè gerendam Eccleſiam, ad delectum optimorum miniſtrorum, quos ipſe quantum licuit nonniſi probatę vitę, ac doctrinę prępoſuit: quamuis initio ſui Epiſcopatus infęlicitati temporum prudenter condonans pleroſque ignaros, incultos, ſuſpecti nominis pati, nonnullos etiam ſacris ordinibus initiare cogeretur: quandoquidem qui populo ſacra miniſtrarent meliores, aut aptiores adeſſent nulli. Quę prudentię ſpecies non parum fuit a Gregorio XIII. commendata: cuius fertur pręceptum in hanc rem, Panem ex ea, quę ſuppetit farina conficito. Probata tum etiam cum Alexander tres Parochos publici concubinatus reos a Sacramentorum collatione non repulit, ne populus ſalutaribus, ac neceſſarijs adiumentis fraudaretur. Vt & alias egit cum eiuſdem criminis Sacerdotem Epiſcopali authoritate iam loco dimotum, arripien-

Prudentia in delectu miniſtrorũ Eccleſiæ.

te

te dein arma furentium manu, loco reſtituere cogeretur, Ratus illo in tempore vtilius furori parumper cedere, quam grauioribus malis locum relinquere.

In correptionibus.

Errata ſubditorum condonare, corripere, caſtigare pro temporum, ac perſonarum ratione promptum habebat, vt cui venia vſus eſſet, venia, cui correctione, correctio adhiberetur. Correptiones ita temperabat, vt aliàs plus olei, vt aiunt, aliàs plus vini infunderet. Remiſſior enim correptio, vbi opus eſt aſpera, mollities eſt, non lenitas: durior autem, vbi mitis ſatis eſt efficax, ſęuities eſt, non caſtigatio. Mitibus modis diſſidentes ad concordiam, arma mouentes ad pacem, Clericos ad ſtudium, & pietatem, cęteros a vijs iniquitatum ad ſemitas ſalutis perduxit. Aſperis Hæreticum ad Fidem Catholicam, miniſtrum Genuenſem ad reſipiſcentiam, & obedientiam, Bartholomæum Mucantium ad alienum reſtituendum, reduxit. Habuit autem raritate ſua præclariſſimum illud prudentiæ nomen, quod vbi ſalutis remedia monendo, & corripiendo miniſtraret, tanta conſilij, & benignitatis arte occultabat, vt & monito proficerent, & monitorem monitus ardenter redamaret. Id quod inter plures nominatim ſex concubinarijs accidiſſe legimus in vitæ quæſtionibus.

Moniti monentem redamant.

Probatur clariſſimo exemplo.

Subſtituamus & hoc prudentiæ quammaximè vtile exemplum Papiæ, editum. Coloni tres genio malo potius quam ſtudio iuſtitiæ ducti, in Parochum ſuum coniurauerant; poſtulantes apud Epiſcopum capita accuſationum promunt. Ille conquerentes audit placidè; ſed apertam coniurationem comperiens, verſa in eos poſtulatione, ſeorſim abductos,

mali

mali conſilij redarguit, increpat iniquam mentem, & perverſè ad vindictam aſſumi conuentiones monet. Illi ſuaui correptione æqui, bonique facta, ſtimulis quoque acti conſcientiæ, crimen ingenuè confeſſi, accepta ab Epiſcopo venia regrediuntur, frugemque meliorem ſpopondere. Verum ne Parochus hoc ſe patrocinio tutum putaret, ad ſe vocatum, ſecreto loco, paterno arguit affectu, exprobat imprudentiam, & vt poſthac, vel ab ipſa maleficij ſpecie caueat, pluribus docet. Quod is pariter ſumma animi voluntate accipiens egit gratias Præſuli immortales, & conſilia ſecutus vitam exinde maiori cum laude duxit. Hac prudentiæ arte ruit ruſticorum coniuratio, ſimul & ſtetit Sacerdotis fama, & quod eſt maximum, vtrique a peccato ſunt vindicati.

En domeſticæ prudentiæ genus illuſtriſſimum. Qui ab Apoſtolo didicerat, Epiſcopum domui ſuæ bene Præpoſitum eſſe oportere, alioquin Eccleſiæ Dei diligentiam habere non poſſe, prudenti, ſanctiſſimaque diſciplina familiam ſuam rexit. Modicam, ſed talem ſibi aſciuit, quæ moribus, & vita domum Epiſcopi non oneraret, ſed ornaret; verbo illam, & exemplo ſuo erudiens, quo melior in dies fieret: nemini tamen grauis, nemini importunus, aut iniurius. Leges prudentiæ œconomicę.

Præfectum domus habuit conſtitutum, qui ſecum geſta, dictaque ſingulorum adnotaret; collata illi quoque caſtigandi facultate. Solemne erat errantes paterna charitate redarguere, peccata quædam pro tempore diſſimulare, quædam etiam punire. Cuilibet officij ſui regulas tradere; & ne quis otio torpeſceret, pluribus ſeruitijs mancipare; extra id

tem-

tempus pia lectione detinere. Mane dato ſigno omnes excitari, in Sacellum domeſticum ad preces cõuenire; ſerò itidem ſub nocturnam quietem: inde diſcuſſa diurnæ vitæ conſcientia, recitatiſque Beatæ Virginis litanijs, ſacra aſperſos aqua ab Epiſcopo, cum ſilentio ad quietem ſecedere.

Iniunctum Sacerdotibus quotidie Miſſam facere; Clericis vnaquaque hebdomada refici Euchariſtia, ipſo miniſtrante, & pridie capita rerum meditandarum digerente; reliquis ſemel, aut ſæpius in menſe. Moris erat, ſingulis quartis ferijs carnibus abſtinere, ieiunare ſexta; nonnullis etiam ſponte per Sacrum Domini Aduentum; Vno, eodemque tempore, vt corpora, menteſque familiæ ſuæ paſcerentur, menſam illorum ſacra lectione miſcebat; ſeruato interim ſilentio. Octauo quoque die monitis ſalutaribus erudiebat ipſe, acuebatque ad honeſtè, pièque viuendum; rudiores verò in fide, & lege diuina vnus de Presbyteris.

Profani ſermones, & eò magis impuri, detractiones, ſimultates, blaſphemiæ, aleæ, & cætera vitiorum genera, vt procul a domo ſua abeſſent, attentiſſimè ſemper pugnauit: ſi quos eiuſmodi contagijs infectos offendiſſet, quam ocyſſimè domo expellebat. Veſtitus, qui neque faſtum, neque luxum referret; nitidus tamen, & abſque ſordibus. Honeſta cuilibet pro merito ſtipendia decernens, numeratò perſoluebat tempeſtiuè. Omnes ſingulari complexus affectu, quemque pro merito afficiebat honoris. Aegrotantibus nihil paſſus eſt deeſſe, nec ſubtrahi ſtipendium quamdiu iacerent. Pleroſque ex familia ab initio Epiſcopalis vitæ, ad finem vſq; habuit fideliter in miniſterio perſeuerantes, quos

obiens

obiens iuſtis præmijs remunerauit. Ad exteros, qui bona Epiſcopatus procurabant,eiuſdem pietatis beneficia diligenter protendit, vt officijs paternæ curationis ad ſalutem neminem non iuuaret.

Prudentia in priuata ſui moderatione.

Atque vt aliquid attingam de priuata operum moderatione, qua Religioſi homines momentis ſuis adſtringunt ſingula; dum familiæ,gregivè ſuo ſtudet Alexander,ſibi etiam, ſuiſque rebus agendis legem, ac modum imponit, ne quid præpoſterè contingat. Didicerat quippe exemplo Apoſtoli, Paſtorem animarum, non quod ſibi, ſed quod multis eſſet vtile inquirere oportere, ſui tamen immemorem eſſe non decere. Quare cogitatione anteuertens opera, certas quibuſque horis præfigebat actionum metas. Somno horas quinas; matutinæ meditationi ternas malebat quam binas, Veſpertinæ vnam. Officio diuino diluculum; Officio B.Virginis, item pro defunctis, præcariç coronę, piæ lectioni, Sacroſanctæ Miſſæ, & reliquis antemeridianis, quantum opus eſſet. Quem in menſa ſeruabat legendi ritum aſſiduũ ea prudentiæ,& comitatis lege moderabat, vt coram extraneis conuiuis aliquid ſub finem detraheret, ne prolixiori taciturnitate tædium crearetur.Poſt menſam animi recreandi gratia quęſtiunculas de rebus Theologicis, aut de caſibus, quos dicunt conſcientię, cum Vicario, cum Theologo, alijſve ſacerdotibus agitabat. Reliquum diei partim vſitatis, partim aduentitijs ordinatè cedebat, ſtudio, lectioni, ſcriptioni,Clericorum diſciplinæ, ęgrotantium curę, negocijs, prout ſe darent; in primis ſupplicum auſcultationi, quos quantumvis agreſtes, & apprime importunos facilis admittebat,mira ciuilitate audiebat, dimittebatque hilares, imperatorium ſecutus

Ff apophteg-

Suet. in Tit. apophtegma, Neminem a ſermone Principis oportere triſtem diſcedere. Si vero quidquam alicui denegare cogeretur, nequa fraus, aut violentia inferretur iuſtitiæ, id ſibi moleſtiſſimum eſſe commonſtrabat; hoc ſaltem vt pietatis temperamento repulſæ minueret dolorem. Feſtis diebus accedebant munia concionum, expiationis pœnitentium, Euchariſticę cœnę, Cathecheſeos. Prçcauitque id maximè ſemper, ne otio aditus pateret vel minimus: Quod certè culmen eſt prudentię.

His legibus omnium ſibi animos conciliauerat, nemini inuiſus, omnibus chariſſimus, euitans nimirum quicquid foret alijs iniucundum, nec vnquam a benemerendo mente, aut manu torpeſcens.

Iuſtitia.

CAP. XI.

VT omittam, quam ęqua lance cuique quod ſui erat officij rependerit, vt iuſtum Deo perſoluerit cultum, S. R. Eccleſiæ Pontificibus obſeruantiam, Prępoſitis obedientiam, ſubditis cum benignitate curam, domeſticis comitatem, amicis mutuas vices, inſcientibus doctrinam, egenis opem, omnibus denique Chriſtianam dilectionem, & vno verbo, quod nulli manum negauerit; cum ſe, vt aiebat, nec ſibi viuere, nec eſſe ſuum ęſtmaret: Ad ea, quæ in iuris pronunciatione, ac beneficiorum Eccleſiaſticorum diſpen-

ſpenſatione fecit,excurro: vnde appareat quam fuerit fidelis diſpenſator diuini theſauri,& quam ſolers iuris dicundi iudex.

Nouus Præſul nonnullos ſacerdotio minus dignos tolerare neceſſitate eſt compulſus. Verum ſimul ac idoneos miniſtros formauit, protinus indignos ſacris excluſit ordinibus, & de Parochorum Catalogo facinoroſos eraſit: Ad Eccleſiaſtica non admittens beneficia, niſi qui cœteris virtute, ac ſcientia præſtarent: non enim ex genere, aut amicorum commendatione Paſtores animarum probabat, ſed ex doctrina, moribus, diligentia, zelo, & gubernandi præſtantia. Quin etiam lata lege ſtatuit, vt qui litteris commendatitijs beneficium aliquod extorquere niterentur, ij omni iure, & ſpe obtinendi beneficij cuiuslibet intra triennium priuarentur. Obtinuitq; hiſce ſanctionibus, vt Eccleſia flagitioſis antea deturpata, mox optimis ſplenderet Sacerdotibus, ac Miniſtris. Porro in hoc iuſtitię diſtribuendę officio ab omni genere munerum cauit religioſiſſimè. Legitima beneficiorũ diſtributio.

Iuris dicendi, & ſeruandæ æquitatis vindex fuit acerrimus; vt quiſque quod ſuum eſt retineret. Quoniam vero nonnunquam quæ in Principe triumphat iuſtitia, ſordeſcit in Miniſtris; non niſi bene moratos,& probatę rectitudinis viros tanto applicabat miniſterio: aduenas ſępenumero pręferens, qui non tam facile carni, & ſanguini acquieſcerent. Sedulò inuigilabat ne ij quidpiam iniquum decernerent, neve alij detrimentum, aut iniuriam paterentur; aut apud eos locum haberet perſonarum acceptio. Libellos ſupplicum non raro perlegebat ipſe, auſcultabatque conquerentes. Iudices, ac reliquos, Vindex acerrimus iuris dicendi, & ſeruandæ æquitatis. Libellos ipſe ſupplices nõ raro examinat.

quos miniſtros coram aduocabat ſępiſſimè, exquirens ſingillatim cauſarum ſeriem, ne quid perperam per eos fieret, æquitatem impensè commendatam illis habens.

Increpat miniſtros munera acceptantes.

Quemadmodum autem a muneribus intemeratas ipſe manus ſeruabat, ita miniſtros ab eorundem acceptione continebat, ſua cuique de ſuo decreta mercede, ne donis facile contaminarentur. Vicarium grauiter aliquando increpauit, quod permitteret cubicularium ſuum pecuniam ab ijs accipere, quos ad aurem, & colloquium Epiſcopi introduceret, repulſis cœteris; idque ſe peręgre ferre palam teſtatus eſt; Iuſſo Vicario, ne id vltra a quoquam fieri pateretur, Nevè ipſe ſportulas acciperet, quando ſatis pingui ſtipendio ducentorum in annos aureorum a ſe ſtatuto frueretur. Quod vtique vbi auditum eſt, reliqui ſcientes Epiſcopum omnis iniuſtitiæ vltorem, ab omni fraudulentię ſpecie, ne deprehenderentur, ſibi in-poſterum cauerunt.

Vetat recipi ſportulas.

Miſeros fouet.

Calamitoſis, ac derelictis quo magis iuſtitia prodeſſet ſua, per omnes horas, etiam cibi ſumendi, patere ad ſe aditum voluit. Miſerorum libellos ſupplices examinabat, vt iura foueret: Integritatis Epiſcopalis, ac perfectę iuſtitię ſingulare omnino exemplum.

Haud facile infligit mulctas pecuniarias.

Mulctas pecuniarias non ita frequens approbabat; delinquentes alia potius via meliorem ad frugem reuocans; tanta erat ipſe clementia: Si quas tamen, aut ipſe, aut Vicarius infligeret, eas non in rem ſuam, ſed in ſubſidia pauperum, in Eccleſiarum ornamentum, aliavè pia opera deſtinabat. Cæterum ſeuerè caſtigandi parcior, & cautior; nimirum impellente tantummodo ſeueritate iuſtitiæ, vt ſemper

Si quando, illas deſtinat inopis operã.

per locum daret lenitati, quæ mitigata iuſtitia eſt: Illud inter cauſas iudiciales crebrò pronuncians, Si plectendi ſumus a Deo, ob miſericordiam potius quam ob iuſtitiæ aſperitatem plectamur.

Inſpice iuſtitia, & clementia mixtum iudicium. Rogabat Epiſcopum Actuarius Vrbis Ticinenſis, eximi ſupplicio reum. At grauius eſt facinus, reſpōdit Epiſcopus, mulctaq; purgandum, vt iuſtitiæ ſatiſfiat. Cumq; is quo ſe liberaret ære careret, decreuit tortorio fune ſuſpenſum per binas horas puniri; dicebatq; Quos ille culpa ſua patietur cruciatus, illos ego commiſerans animo ſuſcipiam. Vtiq; oſtentans ſe non debiliora iuſtitię, quam miſericordiæ præcordia geſtare.

Suggerentibus poſſe ad eleemoſynas, aut Eccleſiarum conſtructionem multum contrahi pecuniæ ex officio Cancellariæ Epiſcopalis, ſi venale faceret, vt alias alij, aurem nunquam præbuit, inferens, „ nihil turpius, aut tetrius in Eccleſia quam venundari eiuſmodi officia: Comparatum namque natura eſſe, vt qui emit, vendat; ne loco cumulandæ pecuniæ, iacturam faciat. *Officium Cancellariæ diuendi recuſat.*

In Eccleſiaſtica dignitate, libertate, iuriſdictione tuenda, vt minimè ſegnis, aut conniuens, ita neque pertinax, aut ſummi iuris exactor tetricus fuit. Verum pia quadam æqualitate, & benignitate Eccleſiaſtica, ita ſe cum Reip. Magiſtratibus, & Inſulę præfectis geſſit, vt citra omnem controuerſiam Eccleſia ius ſuum retineret, & illi debitam ſacræ poteſtati obedientiam, honoremque ſponte deferrent. Bona verò, fructuſque Eccleſiarum a laicis olim iniquè vſurpatam reſtitui in antiquos Eccleſiarum vſus edixit, curauit, coegit. *Eccleſiaſticam dignitatem, ac libertatem prudenter tuetur.*

Fortitudo

Fortitudo.

CAP. XII.

Alex. natura pauidus virtute magnanimus.

NATVRA pauidum cœleſtis quidam vigor, & egregia animi magnitudo, virtutum exercitatione parta, erigebant, quæ ad nulla aduerſa ſinerent trepidare, atque ad ardua audacius prouocarent. Inclytum Chriſtianæ fortitudinis opus edidit iunior, cum aſſumptam humero longiſſimam crucem per Vrbem Mediolanum trahens, illam in pegmate, inde excuſſo circulatore, erexit, & ſpiritu fidentiſſimo ad attonitum populum verba fecit de Mundi contemptu. Quid illud, quod rogatus quibus armis virtutes præ omnibus ſibi dilectas, vt aiebat, Caſtitatem nempe & Humilitatem ſe comparaturum ſperaret? audacter „ reſpondit, Iniuriarum perpeſſione, occurſu rerum „ difficilium, & aſperarum, deſpectu quoque mei „ ipſius, vel ſi nequam habear. Spopondi etenim „ ipſe mihi cruces, anguſtiaſque omnes adoriri, qua„ ſcunque feret occaſio: quę ſi genio minus arri„ deant, decreui vim facere, dicereque in animo „ ipſe mihi. Hoc eſt quod appeto, quod quæro. Subſecuta non inferior conſtantia vbi de paternæ domus retinaculis victor egreſſus, bona, pompaſque ſæculi triumphauit, & quò liberior, hilariorque nutum cœleſtem inſequeretur, iugo ſe ſe ſubmiſit or-

Fortitudinis experiméta.

dinis

dinis Religioſi. Addam viriliter, & inſuperabili virtute iniquas animæ paſsiones funditus debellaſſe, quas qui deuincit iure fortior vocatur, quam qui validiſſima vincit mænia. Epiſcopatum Aleriẽſem etſi primum propter humilem ſui æſtimationem recuſaret, magna tamen mentis altitudine ſuſcepit; vbi quamuis regionis illius aſperitas, fera hominũ conditio, vulgaris perfidia, ſcelerum turmæ fortiſſimum quemque poſſent terrefacere, non tamen terruere Alexandrum, qui labores gloriæ diuinę, ſalutiſq; humanę gratia, non honores, aut delicias exoptabat.

Epiſcopus diuinum negocium inuicta egit conſtantia; neminem per verecundiam timens, immò vbi de diuino honore res eſſet, cuivis in faciem reſiſtens. Ab officio paſtorali non ęſtus, non imbres, non montium prępupta, non traiectus maris, non infirma valetudo, non aliud quid piam aſperum retardauit. Munificentiam metus inopiæ nihil imminuit: Fiducia in Deum fortis in fauces peſtilentiæ ſe dedit, in medios proruit enſes; Appellente ad Corſicæ littora claſſe Turcica, cum aufugerent domeſtici, ſtetit pro gregis ſui cuſtodia immotus, & miſſum, quo ſeruaretur, equum illico remiſit, iugulũ potius magnanimiter oblaturus, quam creditas ſibi oues turpiter deſereret. Honeſtam denique mortem meticuloſo receptui, quem ſuadebant ſui, prætulit, dum Ticinenſis Diœceſis Paręcias luſtraret. Quodque ſummæ fortitudinis certiſſimum eſt argumentum, nunquam is turbato, vel animo, vel vultu apparuit, fortia fiue agens, fiue dura patiens.

Dei negocia inuictus agit

Periculis minimè frangitur.

Ingruentia mala ſuſtinuit generoſa, ac voluntaria perpeſſione. Parentis obitum tranquillus audijt, perpetuas

Aduerſa fortiter ſuſtinet

petuas infirmitates, ęquo tolerauit animo, Padi, Ticini, & vaſti pelagi pericula deuorauit imperterritus, quin ab ipſis ſocijs terrorem excutiens. Inter laborũ quondam anguſtias relictus, denegatam miniſtrorũ, quam expectabat, opẽ fortiter perpeſſus eſt. Denique excellentia fortitudinis exẽpla longè excellentiori illo abſoluens, mortem ipſam lęta quadam, & ex ampla animi ſecuritate ſubiuit, adſtantibus pariter męrorem leniens. Quapropter ſi magna aggredientem, vel aduerſa ſuſtinentem ſpectes, magnanimum inprimis, & conſtantem vtrobique miraberis.

Temperantia.

CAP. XIII.

AGE iam temperantię fructus exequamur. Nihil ille appetere pœnitendum magiſtra Temperantia didicerat, libidineſq; & immoderatos animi impetus ſub iugum rationis mittere. Acta ſingillatim nonnulla perſtringamus.

Caſtitas.

Caſtimonię primum extitit cultor, cuſtoſque vigilantiſſimus. Mulierum conſuetudinem, atque adeo colloquia, ita ſemper aufugiens, vt ſi quando illas auſcultare ex officio, vel Charitatis lege cogeretur, id in aliorum conſpectu, demiſſis oculis, & aperto loco fieret. Virgineum pudorem, ſummamque ſemper honeſtatem in verbo, geſtu, corporis motu tum ipſe integerrimè tenuit, tum

tum a ſuis ſeuerè exquiſiuit. Quam fuerat à puero profeſſus caſtitatem, ita illibatam ſeruauit, vt omni parte vitæ ſuæ continentiſſimum fuiſſe conſtet, ac ſuſpicionis omnis infamiæ expertem. Porro eum Virginem ex hac vita migraſſe, qui ex confeſſionibus probe nouerat Ambroſius Rotulus, non temere affirmauit. Ne vero detrimenti aliquid, labemve vllam Angelicus Flos pudicitiæ contraheret, ſpinis arctioris abſtinentiæ, horrore ſolitudinis, laborum fatigatione, corporiſq; afflictationibus ſepiendum ſenſit: inde languidos corporis artus repetitis flagellis dilacerare, cilicio extenuare, inediaq; conficere, quantum natura pateretur, ſolicitus fuit.

Obijt Virgo

Graues corporis afflictationes,

A Cupedijs autem, & cunctis gulę irritamentis, cibiq; ac potus exceſſu omni, veluti animæ, corporiſque peſtibus vehementer abhorruit: cui parca ſemper, frugaliſque menſa in delicijs erat. Idcirco etiamtum adoleſcens in paterna domo amicorum conuiuia cautè declinabat, ne inter lautitiam, & copiam dapum cupido gulæ aliquid vindicaret vltra victus neceſſitatem. Poſt hæc gemino, ac tergemino ieiunio hebdomadam temperabat omnem, repudiatis quarta feria carnibus; Quadrageſimali abſtinentiæ ſolemnia ſacri quoque Aduentus ieiunia coniunxit. Epiſcopus Cænobiali quadræ nil appoſuit; duplici ferculo totam menſam inſtruens, eoq; minus exquiſito condimento, & ſine delectu, qui famem arceret, reficeret vires, delicium non miniſtraret. Quod ſpeciatim in viſitationum anguſtijs obſeruabat, cibo parabili vtens, ne Parochis diſpendio eſſet. Sed longè plura ſobrietatis inſignia vitam percurrenti ſe ſe offerunt.

Sobrietas, & ieiunia.

Quamuis ędes magnificas Epiſcopus alijs coedi-

Tenuis apparatus.

Digitized by Google

ficauerit, ſibi tamen duo duntaxat cubicula valde ruſtica retinuit; grandem tricliniorum numerum, ambitumq; reijciens. In illis nil ſupervacaneæ elegantię, aut magni pretij, non parietes aulæis veſtiti, non lectus conopęo ſplendens, non picturę æſtimandę: vt omnia Religioſam paupertatem, non aulicorum pompam referrent. Domi nullum auri, vel argenti vaſculum, ne candelabellum quidem; res pretioſiores Eccleſiaſticę parſimonię haud conſētaneas arbitratus. Rogatus a conſanguineis domum aulęis inſtruere paſtorali libertate, ac Religione, Sibi, inquit, in Dei iudicio non obiectandum de nudo pariete, vbi tegantur egeni, ſed de nudo egeno, vbi veſtiantur parietes. Principum aulas, & magnatum hoſpitia, quantum decuit, declinauit, humilitatem cum humilibus lautius enutriri dicens, facilèque illam corrumpi in rerum ſplendore, ac epularum magnificentia. Cœnobijs Religioſorum auidius inhiabat, vbi virtutum exercitamenta ſuſcitaret. Longo famulatu, aut veſtimentorum apparatu nullatenus inceſſit ſuperbus, quin in veſtibus, ſi Pontificiam in feſtis excipias, nihil ſericum, aut à priſco Religionis cultu diuerſum adhibuit. Famuli vero quotquot Epiſcopalis dignitas, non Epiſcopi ambitio poſtularet: ab eorum nemine, dum veſtes induit, manum, opemvè ſibi admoueri paſſus, niſi ad Eccleſiam proceſſurus.

Nullum ex auro, vel argēto vaſculum.

Dignum Alexandro Apophtegma.

Cęteras quaſque ſenſuum illecebras procul ablegauit, vt diuinis impenſius frueretur. Oculorum conſtantiſſimam continentiam nullo tempore labefactauit curioſitas, aurium incorruptam cuſtodiam, cantilenarum lenocinia non violarunt, ſomnum, vt ſæpius diximus ad neceſſitatem temperauit; illud

Senſuum continentia.

quan-

quandoque vſurpans, Plus vigilare,plus eſſe viuere. Otia neſciuit, laboribus corpus continuo domuit. Sermonem gratis, ac feſtiuis ſalibus doctus aſpergere; nugacitates, irriſiones, ſcommata, ſtultiloquia, & alia quæuis Epiſcopali maieſtati dicta incongrua indoctus proferre,maiorem è pijs ſermocinationibus hauriens oblectationem.

Temperantia iræ, ſeu Manſuetudo.

CAP. XIV.

MANSVETVDINEM in eo poſitam,vt inordinatos impetus iracundiæ moderetur, tam altè inſitam ſibi prætulit,quãtum ante hac nemo; Animo ſponte ſua facile, & iucundè in lenitatem effuſo, vt non tam virtutis, quam fructus Spiritus Sancti nomen promereretur: qualem par eſt illum exhibere, cui non minus alienæ, quam ſuæ inuigilare ſaluti incumbit. Quod cauſę fuit cur Odeſcalco Epiſcopo Vigleuanenſi ſciſcitanti, quare ea tempeſtate diuina ſapientia tam ſuaui mãſuetudine dulceſcere voluerit Alexandrum? aptè reſponderetur, Vt vno, eodemque ſeculo in duobus finitimis Epiſcopis duplicem regendi viam demonſtraret, ſeueritatis, videlicet qua B. Carolus, & lenitatis qua Alexander Saulius inceſſit. Cui idcirco germana comparatione conue-

Manſuetudo in Alex magis fructus Spiritus Sãcti, quam virtus.

Cur tanta manſuetudine ornauerit illum Deus.

Gg 2 nit,

S. Max. hom. 59. nit, quod de Sancto Euſebio Vercellenſi ſcripſit
„ Maximus Taurinenſis Epiſcopus. Quia blandimen-
„ tis erat præditus lenitatis, omnium ciuium in Deum
„ prouocauit affectum. Vt enim ex miti pectore dulcior, fortiorque fluit ad correctionem ſermo, ita lenitatis condimento mitigata adhortatio, quaſi hamo aureo captos animos placidè a rerum terrenarum amore ad Dei amorem pertrahit.

Nunquam viſus ira percitus, aut ſubiratus.

Ingenio quidẽ humaniori, ac mitiori fuit Alexãder: At vbinã humana natura ſine igniculo bilis animum ad iracundiam interdum commouentis? Et hoc ſummæ virtutis fuit in Alexandro, incendiola illa iracundiæ aut repreſſiſſe, aut extinxiſſe penitus, ex quo nouitius propter duriuſculum verbum a magiſtris fuerat correptus. Sanè quotquot fuerunt illi aliquo in miniſterio, aut intimi familiares, etiamſi viginti enumeres, omnes iurati de ſcripto affirmare non dubitarunt, ſe illum ne vno quidem momento, aut ira percitum, aut certè ſubiratum vidiſſe.

Confirmatur exemplis.

Quod quidem de hac imperturbata manſuetudine dictum nequis in familiarium, & contubernaliũ, placiditatem, ac modeſtiam ſemper referat; quippe teſtimonio ipſorũ conſtat fuiſſe aliquos genij moroſi, inepti, imperia reſpuentis, & qui heri facilitate immoderatius, vt fit, abuterentur. Quorum tamen incurias, & improbos contemptus patienter ferre, quam adaperire locum iræ malebat. Nec defuere de exteris qui Epiſcopo vbicunque poſſent obſiſterent; quibuſcum nihilominus blandè, & amicè ſemper egit Alexander. Pontificalia induměta aſſumenti in Corſica, vel litanti non poterat ſtomachum non mouere agreſtium, & e plebe miniſtrorum ſtupiditas, aliud pro alio perperam porrigentium, aut præpo-

ſterè

ſterè cœremonias obeuntium : Nihilominus compoſito ille animo omnia ferre, placata manu veſtes concinnare, & errantes ad iuſtam cæremonię normam leniter reuocare. Crebras,eaſque graues ægritudines miranda animi,ac vultus æquabilitate tulit, quæ quamuis homines efficiant maximè moroſos, nil tamen ille aduerſus quempiam iraſci, aut conqueri; immò excuſare, & mali famulatus detrimentum tranquillius pati. Vidit neque hilum conqueſtus abeuntes ex valetudine patres, quos in partem miniſterij Epiſcopalis deduxerat, citraque animi offenſionem qui ſuccederent aliquandiù præſtolatus eſt, cuncta placide in ope diuinæ prouidentiæ reponens.

Heroicæ Manſuetudinis, & Clementiæ. Exempla.

CAP. XV.

VT breuibus plura explicem, vrget me multiplex virtutis argumentum, ſed illud in primis pręclariſſimum manſuetudinis, patientiæ, clementiæ. Forte in contubernio Seminarij adoleſcens genio inſolenti, atque improbatis moribus dum beneficentia Epiſcopi aleretur, domeſticam diſciplinam & proterebat per ſe, & turbabat alienam. Poſteaquam iterum, ac tertiùm paternè coarguiſſet Alexander,non reſipiſcen-

Digitized by Google

piſcentem primum ſpoliatione habitus, dein eiectione mulctauit; tum ne ſodales eo duce deprauarentur, tum vt ipſe caſtigatione victus ad bonam redirct frugem: Amanti enim amati pœna minimè placet, niſi ad emendationem, aut ad aliorum documentũ. Is ergo vt erat deperditæ nequitię machinabatur animo, acceptam correptionem vlciſci: Quod pòſt oblatotempore aggreſſus, effracto omni repagulo timoris ac reuerentiæ, ingens ſaxum è vicino, & eminentiori loco in caput Optimi Patris, ac Præſulis ſui ſedentis ad marginem fontis magno cum impetu vibrat, & grauiter vulneratũ arbitratus fugæ ſe cõmittit, atq;in fęminæ viduæ tectũ nõ procul inde clanculũ ſe proripit. Non defuit furibundo mens perimẽdi Patrẽ optimum: At mirum! E marmoreo pectore,& ferreo brachio exiliẽs lapis,natiuę duritię oblitus,& quaſi molleſcẽs eundo,percuſſorẽ, obnitente Deo,deluſit.Saxo ſat fuit ad-naſi sũmitatem pertingere, & quaſi oſculo mulcere genas Epiſcopi,inde enim ad pedes lapſum veſtigia ei lambit.

Petitus ſaxo ad caput nil indignatur.

Fugientem ſceleris authorem plerique de comitatu inſequuti cum in viduæ laribus obſediſſent, Præſul nil indignatus, & iam acceptæ immemor iniuriæ dimitti liberum mandauit. Et quod maius eſt, Gubernatorem de reo inquirentem ab inferendo ſupplicio per Paulum Montium Vicarium Generalem remouit: Vt hac moderationis fama illam etiam male quietam gentem, & paſſim ad vlciſcendum promptam exemplo coerceret: ratus ad cohibendos vindictæ Spiritus nihil eſſe valentius manifeſta Epiſcopi tolerantia.

Dimitti percuſſorem mandat, & ſubtrahit ſupplicio.

Adnecto & aliud animi vbique moderati, & ne ſubitis quidem caſibus perturbandi inſigne argu-

men-

mentum, Vehebatur ille aliquando rheda per Ticinenſem agrum, comite Seuerino Bellingerio Iuris Canonici interprete. Rhedarius Caronam traiecturus, etſi a Bellingerio pręmonitus, in eam tamen profluentis partem vehiculum pertinaciter impulit, vbi altior & alueus, & vnda qua de improuiſo exundante ad genua vſque Alexandri, Bellingerius repentino caſu excandeſcens Rhedarium increpare, & acriter in eius pertinaciam inuehere. Ipſe Alexander infortunium ridere, veterem vultus, ac animi retinere tranquillitatem, placare iracundiam comitis, cuncta docere patienter ac placide toleranda.

Ibidem par moderationis, ac manſuetudinis exẽplum antea obtulerat. Cum enim per Vrbem incederet Clericali, ac Religioſo in habitu obuium habuit adoleſcentem quendam Tranſalpinum, nominis (quod nos tacemus) æquè ac inſolentiæ celebritate conſpicuum. Hic pileum capite tranſeuntis detrahit, ventilat in aerem, & mimica ſcurrilitate Sacerdotem deridet. Contemptum perfert Alexander tacitus, ac mitis, quo non modicum læſi ſpectatores. Verum accepit vterque ſui operis fructum: hic honoris palmam, ac meriti: ille a fide Catholica probroſam defectionem.

Quid mirum in homines manſuetè, ac benignè actum ab eo, cuius viſceribus, intimiſque medullis tanta inhæreret humanitas, clementia tanta, vt etiam in bruta ſe effunderet? Hoc vno diſce ex-actu, pretij leuioris, ſi rem, maximi, ſi animum inſpexeris. Ad oppidulum Curtem redeunti accidit aucupem videre collimantem, & iamiam paratum columbam transfigere. Alexander auiculæ commiſeratione aucupem interpellans, Siſte, ait, rogo te, ne feceris

Alex. admiranda benignitas erga bruta.

feceris, ne ferias: ſubdiditque illico, Quanti tu ad ſummſi putas auiculam? Ille Vno, inquit, Caballoto (nummuli genus eſt) extractumq; Caballotum Alexander porrigens, Accipe quæſo, inquit, & ne vltra Columbulæ inſidieris. Accepit auceps, abijtque pecunia lætus. Abijt credo lętiſſima etiam Columba: Vtroque certe lætior abijt Alexander, gauiſus auiculam ſeruaſſe, ſimul & conſilium ſapiẽtis, miſericordiam erga iumenta commendantis, ac iniquorum viſcera crudelia deteſtantis.

Prou. 12.

Placiditas equorum ad Alexandrũ.

Huc pertinet quod a viris fide dignis accepimus de mutua placiditate belluarum ad Alexandrum: etenim equi duo de ſuis, alter ruffus, alter albus, placidè, ac tranquillè cum illum geſtarent, ſeſſores alios vltra non ſunt paſſi. Id quod de Sanctiſſimo Pontifice Ioanne teſtantur hiſtorici, equum nempe commodatum, quo domina ante vtebatur manſueto, ex quo ſediſſet I E S V Chriſti Vicarius deinceps fremitu, & corporis agitatione ſemper illam excuſſiſſe.

Intentiſ-

Digitized by Google

Intentiſſimus irarum extinctor.

CAP. XVI.

HABEBAT Alexander Sāctam, inuiolatamque cum omnibus pacem, non lædendo quēquam, non acceptæ læſionis vindictam a quoquam repoſcendo. Aequiſſimum eſt & illa coniungere, quæ præſtiterit, vt obturbatam, exaſperatamque plebem ad concordię ſenſum, ad facilitatem, omnino ad ciuiles mores traduceret; eritque iuſta virtuti merces laudatio.

Res illi cum feris potius quam cum hominibus.

Cum feris potius rem illi fuiſſe quam cum hominibus in Corſica, habes in eiuſdem Epiſtola ad Præpoſitum S. Barnabæ, qua vt olim Ezechiel Propheta, habitare ſe dicit cum ſcorpionibus. Alpeſtres tamen Inſulares, & Sanguinarios vrbanitate ſua, lenitudine, & clementia non parum edomuit, cruore abſtinere, amicè, ac humaniter viuere, diuinis, humaniſque legibus colla ſubdere docuit, conſilijs, precibus, vita in primis benè, ac placidè compoſita. In id enim totis neruis, totoque conatu contendit, vt illa effera, & humani cruoris ſitientia monſtra ad humanitatis, & amoris regulam viuere cogeret: quo in ſtudio tot victorias retulit, vt explicatis Chriſtianæ pacis trophæis, Angeli Pacis nomen haud immerito promeruerit. Egregiam

Ezech. 2.

Inſulares ſua vrbanitate humanè viuere docet

Angelus Pacis.

probationem faciunt extincta perſæpe diſſidia, & multa cum hominum admiratione conciliatæ amicitiæ in Oppidis Balaneæ, alibique paſſim inter Diœceſim luſtrandam: maius eſt aliquid, quod in Curte, ſeu vt alijs placet, Venaco patrauit.

Vide in Epiſcopo diuinæ vim Charitatis, & Ingenitis fortitudinis exemplum.

Sumebat ille cibum cum ſuis, quum de repente auditur, in aperto campo ſtare catervas pugilum, diſtrictis gladijs, cominus congreſſuras. Is incunctanter de menſa exilit, in aream certaminis ſolus accurrit, diſcupiens ſanguinem ſuum pro alieno ſeruando paciſci. Ad armorum aſpectum animo vir pius tabeſcit parumper: Verumtamen ſeipſo, ac ipſa fortior morte, inermis vt venerat, in campum proruit, facilius in iugulum ſuum excepturus mucrones, quam ouium ſuarum paſſurus immergi viſceribus. Illic inter concitatas partes medius in genua procumbit, panſis in crucem brachijs, in imbrem lacrymarum ſolutus, adhortatur vtrinque hos, illos; deprecatur ſupplex, ac pronus, numenque obteſtans diuinum, arma ponere, & in bonam coire pacem: Si exigenda vindicta in ſeipſum diuinæ obnoxium iræ vltionem omnem, & arma iuſtius vibrari. Quid plura? ad aſpectum illum anxij Paſtoris, ad preces, ad luctum, ad ſummiſſam proſtrationem, & quod acrius mouit animos, ad nouum illud ſpectaculum Charitatis, attoniti, ac fracti animis pugnaces illi digladiatores, quaſi immemores propoſiti, gladios vaginis incruentos reddunt, pacem poſcunt inuicem, fœdus feriunt, amicitiam arctè ineunt, & ne qua deinceps diſcordiarum ſcintilla reviuiſcat, vnanimi ſenſu rationes vtrinque ſuas arbitrio ſupponunt prudentiſſimi paſtoris, qui illorum ſaluti caput deuouiſſet ſuum. Sic ſedata pugna,

recon-

reconciliatique ciues. Qui pacis illius ratione bene æſtimata, ad penates quiſque ſuos redeuntes, Præſulem de ſeipſis triumphantem comitati ſunt, communi encomio hominē Apoſtolicæ charitatis, Apoſtolicæ ſanctitatis proſecuti. Vt mihi id cogitanti Aaronem æmulatus videatur Alexander, qui deſæuiente in populum ira Dei, cucurrit in mediam turbam incendio corruentem, & oblato thimiamate, ſtans inter mortuos, & viuentes, ac pro populo deprecatus, plagam auertit. Num. 16.

Non defuerunt ex amicis qui auſum arguerent, monentes ne ſe vltra in tam aperta vitæ diſcrimina conijceret. At ille contra, minimè pertimeſcendum ſibi corporis caſum, ſed perpendendam filiorum ęternam ſalutem: Neque ſe ſatis capere, quo animo Paſtor oculis cernat confodi, diſcerpique ouem, & opem deneget. Quę quidem animi fortitudo eò eſt in Alexandro commendabilior, quod naturæ timidioris eſſet, & ea tantum charitatis gloria fortis, quę, quia perfecta eſt, foras mittit timorem. Vide quid monentibus amicis reſpondit.

Memorabile, & illud eſt, quod cum ad pagum vulgo Toxum ciuibus pacificandis conceſſiſſet, nec illi pro voto promptius res ſuccederet, vbi in ſuggeſtu multa grauiter dixiſſet de Pace, & Cōcordia. Alterum reconciliandis Ciuibus Strategema.
„ tandem exclamans, Conſulite paci, inquit, filioli,
„ ſic iubeo, Paci omnino conſulite, namque ego
„ hinc minimè abſcedam, donec vos viderim in
„ præſentiarum benè confirmata pace vitam ciui-
„ lem, concordem, & amicam inſtituere. Hæc ille: Nec ita multò poſt vniuerſos Ciues in communem, pacatamque ſocietatem reductos Pacificator vidit.

Denique ſi recenſeam quoties furentibus arma,

Cœleſtis caduceator.

vt ita dicam, manu eripuerit, arbiter extiterit conficiendę pacis, exitiales compoſuerit diſcordias, & eiuſdem generis, ac ordinis officia alia præſtiterit; ſane apparebit illum Caduceatoris cœleſtis nomen, ac numeros impleuiſſe.

Apud cineres Alex. finem rixæ faciunt nonnulli.

Quam viuenti Alexandro vim, & authoritatem contulit Deus, eandem apud emortui cineres ſæpius ſuſcitaſſe crediturplurimorum ſincera atteſtatione, qui ad illius ſepulchrum orantes veterum rixarum, & litium terminum ſe opinantur obtinuiſſe. Eſtque inſigne quod inter alios Frater Sixtus Negronius a Curte, Sacerdos, & Concionator ex ordine Sancti Franciſci coram Iudice pluribus recitat. Sibi nimirum cædem alienam machinanti, dum intra carceris cuſtodiam teneretur, viſum Alexandrum habitu, maieſtateque Pontificali fulgentem, a nefario ſcelere deterruiſſe; præmonendo, ante biduū ex ſententia euenturum quod ipſe optaret. Cuius ipſe monitioni obtemperans, propoſitiq;pœnitens, in genua prouolutus de omine gratias egit, & duos poſt dies promiſſi compos effectus eſt. Quamobrem accepti beneficij memor ad perennem recordationem quotidie expletis matutinis, ac veſpertinis officijs recitando hymno, ſeu antiphonæ in huius Antiſtitis laudem ſe ſe ſubdidiſſe fatetur, & quam habuit primo loco cum Miſſam, tum concionem, iubente ipſo Alexandro, de Beata Dei Genitrice in gratiarum actionem habuit.

Sixti Negronij relatio.

Temperantia

Temperantia ab honorum cupiditate, quæ eſt Chriſtiana Humilitas.

CAP. XVII.

ACVTIORI nullo ſtimulo malè agitari humanam volũtatem, quam honoris, ac Pręfecturę appetentia, in conſpicuo nimis eſt: cui ſcaturiginem malorum omnium exprobrauit ſapiens; pernicioſiſſimum, ac exitiale venenum, quod Cælum Angelis expoliauit, & hominibus. E noſtro inſtituto erit curſim oſtendere, quam ſtrictè læthalem hanc auiditatem fręnarit, qua ſimul arte impetum illius fregerit Alexander; Vt ſi vel ipſa Religioſæ vitæ cunabula recolantur, nihil præter demiſſionem ſui voluntariam, pręterque ſummam animi modeſtiam repręſentetur. De Cœnobiticis ordinibus illum optauit, vbi minus ea tempeſtate ſplendoris, ac faſtus, minuſque diuitiarum, plus autem laboris, plus pœnarum, & quod aiebat ipſe, vbi iudicij, & proprij voluntatis delectus fortius retunderentur: quod eſt profectò ſublimioris temperantię genus.

Appetentiã honoris, ac dignitatum, vt frænarit Alexand.

Tyro aſſuetus magiſtris ad omnia ſubeſſe, deferre, repugnantem præceptis voluntatem oppugnare, infima

Actua religioſæ demiſſionis.

ſima ſeruitiorum munia obire: Tyrocinio emiſſus nihil de antiqua ſubmiſſione diminuere, nihil de ingenij acumine, de facili ac ferè natiuo virtutum vſu ſibi arrogare. Nec quia multæ iam eruditionis, eloquentię celebris, & clari nominis, aliquid de humilioribus miniſterijs detraxit. Iſthæc quoniam Dei dona ſunt, Deo accepta, & in diuinam eius beneficentiam laudes omnes, & gratias retulit. Collegio Ticinenſi Præpoſitus de itinere hoſpitibus plantas abluere; & data a pijs conſanguineis frumenta humero in horreum importare non erubuit, ſocijs qui per baiulos illa introferri ſuadebant, in idem exemplo ſuo inuitatis, quos lepidè arguebat, Adeone parui, inquiens, erit nobis Diuinæ prouidentiæ donum, vt inuehendo illi extera ſit opus manu?

Quam conſtanter reſpuerit honorum, atque magiſtratuū gradus.

Iam vero mundi honores, ac magiſtratus quomodo ambiuit ſuperbè, qui tota induſtria declinauit, qui oblatos neglexit, qui conſtanter obſtitit, nec niſi cogente imperio capeſſiuit? Quanta vi opus fuit, vt ad ordinem Sacerdotalem ſe promoueri pateretur? Quanta vt ſuæ Congregationis magiſterium gereret? Quanta vt Epiſcopatū Alerienſem adiret? quanta vt Ticinenſem? nam Archiepiſcopatum Genuenſem ęmulator in hac parte Diui Bernardi Abbatis Clarevallenſis, repudiauit, non ſecus atq; Derthonenſem Epiſcopatum. Quotquot a Summis Pontificibus ſperare poſſet magnificos honorū gradus flocci fecit, gauiſus humili ſuo riſitq; ęgrotus Calozzį acceptis litteris Cardinalium Veronę, & Cuſani, quibus ad Romanæ Maieſtatis faſtigia prouocabatur; dignitatum fulgoribus vmbram abiectionis anteferens . . . .

Auram

Auram, famamve popularem, ac laudes mortaliũ res nimirum iudicio ſuo friuolas, & Chriſti ſeruo indignas, ex animo ſemper deſpexit, erubuitque laudatus. Multa præclarè facere, minimum de ſe loqui,& ab alijs nil cōmmendari,ſumma votorũ erat. Virtuti enim Conſcientia ſatis amplum Theatrũ eſt; & corona gloriæ ęternæ,merces copioſiſſima. Domeſtica Sauliorum inſignia in fronte parietum, aut proſpectibus domorum, quas conſtruxerat, in vaſis, in veſtimentis Eccleſiæ dono datis affigi, tanquam oſtentationis phaleras, rigidè vetuit, acriterque increpauit, vbi quis eo inſcio ſecus feciſſet: Modeſtia tantò Deo charior; quantò rarior: Effecit præmiſſis nuncijs, ne grandi pompa in Diœceſim Alerienſem venienti ſibi occurreretur. Idem Papienſibus interdixerat. Conceſſit tamen dignitati Epiſcopali, ex alieno iudicio. In Epiſcopali domo nil ſplendidum, nil rari pretij retinuit: vt omni ex parte humilis temperantię inſignia legerentur. Ipſa ſimplex ſubſcriptio, qua Epiſcopus priuatas litteras ad vsũ ſuę Religionis obſerabat illis verbis, Alexander veſter humillimus filius ſpiritualis, haud leue eſt internæ humilitatis veſtigiũ: vt etiã illud, quod Papiæ philoſophiam tradens, ab vno diſcipulorum perfectam linguæ Grǫcæ notitiam acciperet. Denique præcellentia ornamenta huiuſce virtutis inſcriptione tumuli caſtiſſima, ſi in Corſica mori contigiſſet, obſignauerat, illis verbis: Alexandri Epiſcopi cineres, vſque ad diem Reſurrectionis. Papię verò ſpreta nobiliori, iuſſit ſe humillima Templi parte, hoc eſt infimo pauimento ſepeliri.

Deſpexit humana encomia.

Firmatur exemplis.

Quam modeſtè, immo quam malè de ſe ſentiret, inde conijcitur, quod ſe hominem peccantem, hominum

Modeſtè, immò & male de ſe ipſo ſenſit.

minum infimum, regimini minus aptũ, apertè dictitaret cui multò magis Cænobij ſolitudo, quã amplitudo Epiſcopalis conueniret. Præpoſitus conſilia a Clericis ſubditis, Epiſcopus a ſui quondam ordinis Præſule, & a B. Carolo auidus quærebat, data autem ad vnguem exequutus. Male de ſe opinantis, & emendationem cupientis illud eſt non commune argumentum, quod ſcitatus quid in Collegio Papienſi, tum agerent Viſitatores, vbi audiuit de moribus ſingulorum, ac de omni diſcliplina regulari inquirere, O vtinam, ſubdidit, id mihi pariter beneficij obueniret.

Quam charus, ac vtilis S. Carolo Borromæo.

CAP. XVIII.

MEMORIA Sanctiſſimi Pręſulis Caroli Borromęi Archiepiſcopi Mediolanenſis crebro repetita per hęc Venerabilis Serui Dei Alexandri geſta monet nos, vt aliquid mutuo amborũ vſui exoluamus, quos ſcimus in tantas, teſtataſque amicitias eſſe progreſſos, vt par illud Herôum coniunctiſſimorum, Baſilium Magnum, & Gregorium Theologum terris reddidiſſe videantur. Quantum igitur apud Carolum gratia, atque authoritate valuerit Alexander ſubijcio.

Sed antequam hæc aggredior, monendus es lector, non rectè illos ſenſiſſe, qui Congregationis noſtræ authorem, aut progenitorem S. Carolum dixere, noſque vocitauere Presbyteros Cardinalis Borromæi. Conſtat ſiquidem, Mediolani erectam, & conſtitutam Clericorum Regularium S. Pauli Congregationem annis ante triginta, quam ille Epiſcopatum iniret; Immo, & aliquot annis antequam luce huius ſolis, ac vſura vitæ frueretur. Iamdiu eius Congregationis licet exiguæ alumni Sanctis functionibus, pro virili ſua, Mediolanenſibus, Deo benè iuuante, non mediocriter profuerant; cum necdum alij Clericorum ordines ea in Vrbe ſedem poſuiſſent, vti multò poſt magno equidē pietatis augmento eſt factum. Illi in publica, atque inueterata vitia inſurrexere primi; illi Chriſtianam Cathecheſim reſtituere, frequentem Sacramentorum vſum inuehere, aliaque permulta ſaluberrima inſtituta fundare cæperunt quæ viam ſtrauere ad eam pietatis, & morum faciem, quam poſtmodum S. Carolus magnis laboribus efformauit: vnde potiſſimum eſt terris, & cælo glorioſus effectus; & inſignis illa ciuitas orbi Chriſtiano in exemplum, & oſtentationem propoſita. Illud non inficiamur, immo vero gloriæ loco ducimus, Antiſtitem hunc Sanctiſſimum, qua erat benignitate, noſtræ Congregationis filios tanquam vernaculam ſuæ Ciuitatis prolem ſingulari ſemper complexum eſſe beneuolentia, paternoque fouiſſe patrocinio: Non progenuiſſe tamen. Illoſque viciſſim non ingratos clientes vti filios adoptiuos omni reuerentia, & obſequio patronum, propagatorem, & parentibus proximum fuiſſe proſecutos. Quod non abſimili modo erga alios quoſque Epi-

D. Carolus Borromæus non eſt Fundator noſtræ Congregationis.

Patres noſtri viam ſtrauere ad eam pietatis normam, quam poſtea S. Carolus perfectè efformauit.

S. Carolus noſtræ Congregationis Patronus, nos illi obſequioſi filij.

Digitized by Google

ſcopos in ijs, quę ad diuinum cultum, & animarum ſalutem pertinent, præſtare ſe profitentur.

S. Carolus Alex. merita primũ agnouit Papiæ.

Rem ergo propoſitam repetamus. Iam olim in Academia Ticinenſi iuuenilia ſtudia percurrens Carolus multa de Saulij doctrina, multa de gloria virtutum tanti Patris audierat, eratque apud ipſum illuſtre, ac Venerabile Alexandri nomen: At vero longè illuſtrius, ac venerabilius, vbi candorem animi, integritatem, ac ſapientiam colloquio, & conſuetudine didicit. Quamobrem purpura vbi primum inſignitus eſt Cardinalitia, & Infula Archiepiſcopali per Pium IV. auunculum, ac ſimul de reuocanda inter ſuos priſtina morum iuſtitia deliberat, tum accerſcendum ad eam molem Alexandrum cõſtituit, cuius gemina litteraturæ, ac probitatis fama tum Papiæ, tum Mediolani volitabat. Igitur primũ Concilium Prouinciæ ſuę celebraturo placuit, inter ſupremos Theologos Saulium Ticino aduocari. Quo in opere tam luculenter enituit doctoris noſtri eruditio, induſtria, ſapientia, vt altam mentem introſpiciens Archiepiſcopus, admiratus quam latè pateret Saulij prudentia in agitandis, decernendiſque rebus, eius in deſiderium exarſerit totus, detinerique Mediolani rogauerit. Retinuiſſetque niſi deuictus litteris lacrymiſque Dominici Patris filiũ repetentis, reddendum adiudicaſſet Patri ſenectute & curis confecto: exorans vt alternis ſaltem vicibus ad ſe pro tempore ventitaret, quouſque regimini S. Barnabæ Præpoſitum, non iam amplius aduentitium hoſpitem, ſed incolam ſtatiuum obtinuit.

Aduocat Ticino ad primum Concilium Prouinciale

Vbi effulſit Alexandri eruditio, ac Sapientia.

Rogat detineri Alexandrum Mediolani: Sed redditur Dominico Patri ſeniori.

Creuit cum præſentia gaudium Archiepiſcopi, creuit beneuolentia, creuit conſuetudinis deſideriũ. Conſultorem, adiutorem, & Collegam ſibi adſcribit;

Gaudium Borromæi ex præsẽtia Alex. Præpoſiti S. Barnabæ.

bit; nihil fere paulo grauius molitur, quod non prius cum Alexandro collatum de maturo illius conſilio definiretur. Apud Summos Principes ad explicanda negocia ſibi a Summo Pontifice demandata Oratorem delegauit, ad veteres corruptelas expungendas, ad curandos populos deprauatos adhibuit correctorem; Vt laxiores monaſteriorum licentias ad iuſtam conſtitutionum normam contraheret, cenſorem; In luſtranda Diœceſi comitem; in Synodi, & alterius Concilij Prouincialis celebratione, actorem. Veſpertinas conciones in Metropolitana, quemadmodum Franciſco Panigarolæ matutinas, commiſit. Expetebat elucidantem Epiſtolas Pauli in ædibus Archiepiſcopalibus, quemadmodum olim Romæ Sanctus Dominicus Magiſter Sacri Palatij feciſſet traditur in Pontificijs, ſed impedimento fuit cura Prępoſitalis, & rerum agendarum cumulus.

Eius vtitur maximè concilio. & opera.

Quibus in rebus.

Socium habuit in correptione quorundam Sacrorum Ordinum, quibus prȩerat cum Patroni titulo. in primis familiæ Humiliatorum, cui etſi res non ad votum omnino ſucceſſit, nonnullos tamen ad ſaniorem vitam reduxit Alexander: quocirca deleto poſtmodum ordine, tria illorum monaſteria a Summo Pontifice in gratiam S. Caroli, & in Alexandri præmium Congregationi noſtræ ſunt adiecta; Cremonȩ, Vercellis, Medoetiæ. Deſudauit impensè cum Archiepiſcopo in extirpanda hæreſi, quæ nobiliſſimam Italiȩ Vrbem actis iam radicibus infecerat; in reuocandis quoque ad bonam frugem quibuſdam ſacri ordinis viris, qui ab Orthodoxa fide aberrantes perniciem plurimam Chriſtianæ rei intentabant ni maturè obſtitum fuiſſet.

Alex. ſocius Caroli in correptione quorundam Ordinū, &c.

Carolus ſãma quęque fidiſſimo cõmittit Alex.

Quid vltra? Archiprę̨ſul Sapientiſſimus quod erat ſibi pretioſiſſimum, quodque in negocijs ſummum, id omne fidei, prudentię, arbitrioque Alexãdri tradidit; nimirum pro ſua ſeruanda anima quaſi Cuſtodem Angelum, pro Sancta morum directione magiſtrum, pro delictorum cenſura iudicem illum ſibi ſtatuit. Illum ad rerum Cœleſtium meditationem creberrimè conuenit: Cum eo ſolutus negocijs ſpirituales exercitationes inſtituit: Ob intentatam ſibi necem ab alumno Humiliatorum cum in Villam Carinianam ſeceſſiſſet, eò aſciſcit fidiſſimum Alexandrum, quo vtatur conſiliorum præſide, & ad ſalutarem doctrinam ab ictu hauriendam Medico. Coram Alexandro labeculas quotidianas ad aurem incuſat; & totius anteactæ vitę generalem ſubit expiationẽ. Quin ab eius Sacro Tribunali aliquando diſcedens inſigne pietatis monumentum Alexandro erexit illo encomio: Hactenus aut nihil, aut parum egi, Hæc mihi nunc initia vitæ perfectioris, hæc elementa ſanctitatis.

Illum habet Carolus à Sacris Confeſſionibus.

Encomium Caroli de Alexandro.

Quibus officijs mutuã aluerint amiciciam.

Dulce & hoc rememorare, Sanctiſſimis officijs piam, & arctam illam amicitiam vtrinque alitam fuiſſe, mutua amborum precatione ad Deum, conſiliorum viciſſitudine, alternę operę miniſterio, diuinis collocutionibus, paribus pietatis ſtudijs, nec non ſacris munuſculis. Quo exemplo percipies, honeſtis actis magis quam terrenis opibus veram, iuſtamque amicitiam coaleſcere, ac enutriri.

Beati

Beati Caroli cum Alexandro Saulio Collatio.

CAP. XIX.

NEMO eſt qui ſi vero in lumine rem poſitam intueatur, non perſpicuè aduertat, eam morum, & operum ſimilitudinem inter hoſce Dei cultores interceſſiſſe, qua alteri alter vitæ, ac meritorum lineamentis paribus poſſit æquari. Quamuis non inficiandum, quin eminentia gradus Eccleſiaſtici, facta celebriora, & honores Diuales ab Apoſtolico Senatu delati Carolo, priores huic vindicent partes. Rem nos ita colligimus.

Natalium nobilitas, ingenij dotes, gratia facundiæ ęquales omninò fecere: Pia quoque educatio, & litterarum emenſa ſpatia pares.

Puerili quodam ſtudio, & oblectamento Altaria ſtruere, lararia adornare a primis annis intentus vterque, futurę pietatis, ac Religionis ſpecimen præbuit, cui prouectior ætas templorum erectione, & ornatu optimè conſonans fuit.

Animi ad pietatem, & ad rem quãque honeſtam procliuitas, accurataque ſui ipſius circumſpectio, neutrum permiſit ſordibus Adoleſcentiæ contaminari.

Borromæus adhuc iunior patrem monuit, Sacer-

dotij

Digitized by Google

dotij ſui prouentus rectius pauperibus erogari, quã rei domeſticæ adiungi. Saulius adhuc puer, quod pauperibus ſuggereret, domo paterna conniuente patre extulit.

Delata vltro vtrique dignitate Epiſcopali, ſuam quiſque Sanctiſſimè rexit Eccleſiam, Sanctiſſimiſq; legibus ſtabiliuit: ſeueritate ille magis, hic lenitate; viciſſim tamen vterque maiorem, vel clementiã, vel auſteritatem mutuatus, pro temporis ratione.

Vterque ſumma diligentia detractum Deo cultum reſtituit, adiecitque nouum, Clerum reformauit, ac populum: Iuris Eccleſiaſtici poteſtatem ſuſtinuit, laborioſas Viſitationes, Synodos, & cuncta Epiſcopalis officij munera indefeſſus obiuit.

Perquam ſimiles erudienda Chriſtianis myſterijs plebe, conſtituenda, fouendaque Cathecheſi, continenti concionum ſtudio: quo certè eminebat Alexander.

Eleuatæ in Deum contemplationis ambo, eminẽtiſſimęque orationis. Dei amore, & ardore ſalutis animarum ſibi creditarum vehementer ſuccenſi ambo.

Ab Epiſcopo didicit Archiepiſcopus grandem crucem in ſupplicationibus propalam geſtare: contra didicit ab Archiepiſcopo Epiſcopus Epidimia infectis hilariter manu ſua miniſtrare: exhibita ad mortem vita vterq; permultum laudabilis.

Alter retento Epiſcopatu, oblatos honores deſpexit, alter Archiepiſcopatu retento, graduq; Cardinalitio, quos gerebat honores abdicauit.

Percuſſus hic dorſum plumbea, ignitaque glande non vulnus corpore, non animo triſtitiam concipit, ad vindictam humanum ſtudium vetat, con-

condonari crimen orat. Ille ingenti ſaxo caput petitus, nec corpore ſaucius, nec animo, percuſſorem dimitti iubet, ſubtrahitque ſupplicio.

Aedificia ſpectabilia publicę vtilitati dedit vterq;, magnificentiora Carolus, quippe nobiliori in Vrbe, pinguiore in Eccleſia, Alexander locorum neceſſitati, & facultatibus æquabilia.

Ille ædes Archiepiſcopales amplificauit, hic Epiſcopales excitauit a fundamentis.

Ille Baſilicam ornauit magnificè, hic nouam erexit.

Clericis educandis Seminaria, Collegia Sacerdotibus, Canonicis hoſpitia, & ad Dei cultum ſtipēdia pinguiora vtrinq; pro locorum meritis, attributa ſunt.

Ambo egenorum parentes, infirmorum, afflictorumq; ſolatium, ambo hoſpitales.

Quicquid è ſumptibus familiæ ſupereſſet Præſulibus, in vſus pauperum, aliaq; Chriſtianæ pietatis opera pariter collatum eſt.

Conſumpta reliqua pecunia Carolus pretioſa queque diuendidit, & in pretia conuertit pauperum: Alexander ne pauperes vllo tempore fructibus ſuæ liberalitatis fruſtrarentur, nil emit, nil habuit cuiuſquam pretij. Alienæ neceſſitati vnus perinde ac alter lętus ſuccurrere, cum propria.

Denique vitę perſimilis curriculum perſimili quoque meta clauſere; Sepulchrum ſibi vno, eodēque modo in Cathedrali ſtatuentes, loco humillimo, & nudatum omni pompa, quo pertranſeuntium pedibus facilius protererentur.

Viuentes quemadmodum editis operibus æque magnifici, ita & mortui pari gloria miraculorum

adeo

adeo illuſtres, vt Coſmas Doſſenius exploratæ integritatis, & Sancti nominis Epiſcopus Derthonenſis, bene, diligenterque excuſſis vtriuſque miraculis non dubitauerit aſſeuerare, minimi eſſe inter ſe diſcriminis. Nos illa hiſtoriolæ noſtræ ſubtrahimus, ne quicquam in Pontificem obedientiæ detrahamus.

Honorifica de Saulio Teſtimonia varijs e Scriptoribus deſumpta.

CAP. VLTIMVM.

HAEC ſunt, quæ de vita, & geſtis Serui Dei Alexandri Saulij compendio perſtringẽda duximus. Reliquum eſt, vt quid de eo in tanta ſegete bonorum operũ ſenſerint Viri ſapientia,& authoritate clari, breuibus indicemus. Nimirum inde etiam virtus ſua amat accipere teſtimonia, quæ alijs bono teſtimonio fuit. Licet enim non ex alienis tabulis, ſed ex vita rectè, Sanctèque acta, noſtræ rei ſumma petenda in primis ſit: tamen & hoc virtuti condignum, habetq: in ſe venerationis plurimum, ab ijs commendari, qui virtutem ex virtute metientes, illius aut ſpectatores extitere, aut ſinceri ſcriptores, pares meritis laudes,& paria laudibus merita ita comparantes, vt

quod

Digitized by Google

quod honeſtum eſt non abeat inhonoratum, nec honor honorem immerentibus tribuatur.

Procurſui noſtro viam pandet clariſſima lux Eccleſiæ Carolus Borromæus Epiſtola ad Ormanetum tranſmiſſa, cum de inſtituta quæſtione ſuper vita, & meritis Alexandri Pontificem certiorem faceret, quam & nos antea retulimus.

„ Quod Sanctiſſimus D. N. (ſcribit ille) de „ Alerienſi Eccleſia in Corſica Præpoſito S. Barna„ bæ demandanda ſtatuit, id ego ei ſignificaui: Sed „ is pro ſua modeſtia de ſe humiliter ſentiens, huic „ ſe muneri minimè aptum eſſe reſpondit, quod „ ego, qui egregias viri dotes perſpectas habeo, non „ ei ratum habui. S. Carolum Borromæus.

„ Et infra. Hinc aiunt (Seniores Congrega„ tionis) graue detrimentum imminere ordini, qui „ a prudenti eius adminiſtratione totus nunc pen„ det, atque ipſius doctrina plurimum iuuatur, in „ qua certè parem illi in ipſo ordine non habent, „ neq; alium moderando tam idoneum. Item. Ego „ vero fore proſpicio, quam grauem etiam iacturam „ faciet vniuerſa hæc ciuitas Mediolanenſis, cui „ Alexander ipſe multis nominibus, varijſq; modis „ eſt vtiliſſimus, in ſacris doctrinis, in concionibus, „ in confeſſionibus, & alijs priuatis pietatis officijs; „ atque etiam prudenti conſilio, quo ego ferè ad „ omnia vti conſueui. Quod ſi hiſce rebus auditis „ Sanctiſſimus Dominus Noſter eius operâ in hac „ noua Præſulis deſignatione ad gloriam Dei vti„ liorem fore iudicauerit, is Apoſtolicæ obedientiæ „ filium ſe ſe profitetur. Ac licet ſingulari beneſi„ cio a Summo Pontifice ſe affectum exiſtimabit, ſi „ ſuo in cætu, in quo per annos vndeviginti placi-

„ dè vixit, perdurare liceat; tamen vt pareat, ad
„ eam tollendam crucem, quam Sanctiſſimus Pontifex
„ tifex iniunxerit, præſto eſt. Neque enim velim,
„ vt per me illa prohibeantur bona, quæ Corſicæ
„ obuentura inde ſint; quam quidem Inſulam ex
„ Alerienſi interpontificio ſummopere indigere tā-
„ to Antiſtite arbitror.

Tanti præſulis authoritati ſuffragatur Carolus a Baſilica Petri actorum S. Caroli ſcriptor egregius lib. 2. cap. 6.

Carolus à Baſilica Petri in vita S. Caroli.

„ Carolus, inquit ille, aliquid otij nactus, animi,
„ ſpirituſq; ſui vires collegit, & cum in medio vix
„ ſpiritualis vitæ curſu ſe eſſe affirmaret, quaſi
„ prçterita obliuiſcens, maiore quam antea conatu
„ ad metā incitatus eſt. Prçterita omnia peccata ſua
„ diligenter a primis annis recognita, quod iādiu
„ cupiebat, cōfeſſus eſt Alexandro Saulio S. Barna-
„ bç Mediolani Prçpoſito, nunc Epiſcopo Ticinen-
„ ſi, cuius conſilio, & doctrina vti plurimum ſoli-
„ tus fuit: donec eum ad Epiſcopatum Alerien-
„ ſem a Pio V. vocatum, tam libenter ob Eccleſiæ
„ fructum, quam çgrè ob ſuum, & Sancti Pauli
„ Congregationis vſum dimitteret.

Io. Petrus Giuſſanus in eiuſdem vita.

In eandem quoq; ſententiam ſcribit Io. Petrus Giuſſanus in eiuſdem S. Caroli vita lib. 2. cap. 6. ſubiungens illud boni exempli pronunciatum a Carolo
„ poſt peractam ſacram Confeſſionē. Iam nunc pri-
„ mum in vitç ſpiritualis curriculum deſcendo, hoc
„ mihi ad ſanctimoniam exordium.

S. Philippus Nerius.

Alexandro noſtro celeberrimæ opinionis argumentum ſuppeditat Beatiſſimus Philippus Nerius Congregationis ab Oratorio dictæ ſapiens inſtitutor. Interrogatus enim aliquando a Gregorio XIII.

apud

apud Sancti Laurentij extra muros, ecquis potiſſimũ e comitibus turbam ibi ad preces collectam apta concione ad pietatem inflammaret: is auguſti conuentus amplitudinem, promptique operis difficultatem expendens inſinuauit, nemini iuſtius deferri opus illud quam Epiſcopo Aleriæ; quem ſcilicet eruditionis ęquè ac pietatis prędiuitem nouerat. Subijt imperante Pontifice id muneris Alexander, appoſitèq; & ardenter dicendo ſpem omnem victoriæ in eo genere præripuit cæteris.

Baccius in vita Beati Philippi lib. 1. cap. 4. communem vtriq; ſanctitatis, ac doctrinæ laudẽ tribuit, hæc ſcribens.

Baccius in Vita Philippi.

„ Idem prope accidit Alexãdro Saulio Epiſcopo
„ Alerienſi, dein Papienſi, viro eximię ſanctitatis,
„ & litteraturæ, qui cum Philippo differens, & in
„ rerum Theologicarum diſceptationem deueniens,
„ vbi tam ſcitè, & eruditè reſpondentem audijt, in
„ illius ſapientiæ admirationem raptus eſt: illum
„ enim vti magnæ ſanctitatis, ſed non multarum
„ litterarum hominem habebat.

Quo iudicij, & honoris gradu merita Alexandri haberet Maximorum verè Optimus Pontifex Pius V. experimento nobis ſunt, & nõ ambiguæ beneuolentiæ indicio, quę per Epiſtolam Patribus nomine Pontificis reſpondit Cardinalis Serbellonius in hęc verba.

Pius V. Sũm. Pont. ex epiſtola Cardinalis Serbellonij.

„ A' Pontifice illud ipſum quod mihi pollicebar
„ reſponſum tuli: De Alexandro, deque egregijs
„ illius virtutibus ſatis ſibi cumulatè conſtare, ſeq;
„ adhibita ea animaduerſione, quę in rebus eiuſ-
„ modi ſolet adhiberi ſtatuiſſe, ipſius curæ gregem
illum committere, cui tam vigili, diligentiq; paſtore

Kk 2 potiſ-

Digitized by Google

„ potiſſimum opus eſſet: Atque in hac electione
„ ſe magis in dies, ac magis conquieſcere, &c.
Infra.

„ Quandoquidem non deſint inter vos, qui ver-
„ bum Dei Mediolani diſſeminare, vineamq; Do-
„ mini colere pergant, in qua cum Alexander ſa-
„ tis deſudauerit, æquum eſt, vt illa iam exculta,
„ & ad multam frugem perducta, ad excolendam
„ alterā eius opera multo magis indigentē legetur.

Et ibidem plura, quæ Alexandrum tam demerendo, quam recuſando eam dignitatem commendandum probant.

Quare Ioannes Antonius Gabutius vitam, & res geſtas Pij V. deſcribens, oblata occaſione extollendi tanti Pontificis prudentiam, æquitatemque, quod Cardinalitias; Epiſcopaleſve dignitates non humano arbitrio, ſed æquo iudicio ex notitia virtutis profecto contuliſſet, hæc habet non parui momenti in rem noſtram.

Io. Antonius Gabutius in vita Pij V.

„ Alexandrum Saulium Dominici viri clariſſimi,
„ Patritij Genuenſis filium, Theologum eximium,
„ ac ſumma prudentia, parique probitate præſtan-
„ tem optimè nouimus, quem Pius ex hoc Clerico-
„ rum Regularium S. Pauli ordine, tunc Mediola-
„ nenſi Collegio S. Barnabæ Præpoſitum, licet in-
„ uitum & magna modeſtia ſe indignum eſſe pro-
„ fitentem, cum lacrymiſque diu repugnantem, ad
„ Epiſcopalem Sedem Alerienſem in Corſicam
„ pertraxit. Quam Eccleſiam cum ille ſummis la-
„ boribus, verbo, & exemplo per annos viginti, &
„ amplius ad Chriſtianę vitæ rationem egregiè in-
„ ſtituiſſet, & quaſi ex inculta ſylua florentem hor-
„ tum reddidiſſet, cum Gregorius XIII. Pontifex
Maxi-

„ Maximus ad regendam Ticinenſem Eccleſiam
„ tranſtulit. Sed hanc ille dum ſtrenuè perluſtrat,
„ magno totius gregis, bonorumque dolore, Paſtor
„ egregius, ac verè Pater pauperum appellatus, ad
„ æterna, vt piè credimus, laborum ſuorum præmia,
„ anno 1592. menſe Octobri ſenex emigrauit.

In eundem ſenſum Gregorius XIII. & Sixtus V. Summi Pontifices teſtimonium, honoremque Alexandri meritis contulere, Virum Dei æquè amicè, atque honorificè amplectentes, & Apoſtolicis indultis fauentes; Id ex gemino diplomate colligimus; Altero cum is exiles reditus Canonicorum ſuis augeſcere; altero cum fructibus quorundam Beneficiorum amplificari eorundem numerum poſtularet; cuius petitionibus vterque interpoſito decreto promptiſsime annuit. Greg XIII. Sixtus V.

Quid breuius, quid ſimul illuſtrius encomio Gregorij XIV. itidem Pontificis? qui ab oratoribus Ticinenſibus dignum Eccleſia ſua paſtorem depo-
„ ſcentibus, Non hominem, ſed humano in corpore
„ hoſpitantem Angelum daturum ſe illis promiſit:
Alexandrum innuens, quem, & hoc titulo coram ſacro Collegio Cardinalium honeſtare non dubitauit. Greg. XIV.

Ponderoſum & illud Pauli V. quo Alexandrum, dum in humanis ageret, multa ſanctitatis laude floruiſſe aſſeuerauit: quiq; vt Bellarmini S.R.E. Cardinalis Eminentiſſimi reſponſa probatum faciunt publici cultus iamdudum a populo inuecti continuationem indulſit; eum ipſe referendis in Beatorum faſtos alijs nonnullis occupatus cauſæ Alexandri vacare nequiret. Paulus V.

Dux, Magiſtratuſque Reip. Genuenſis oblato eius ciui- Dux, & Magiſtratus Reip. Genuenſis.

ciuitatis Archiepiſcopam, quam altè de Præſulis huius virtutibus, ac ſanctimonia ſentirent, locupletiſſimè docuere.

Clerus, & populus Eccleſiæ Alerięſis.

Calculos adijcit Cleri, populique Alerienſis ad Summum Pontificem epiſtola ſuperius relata, cuius membra quædam in hunc cumulum inſeri non pigeat.

„ Ad Sacratiſſimos (inquiũt) pedes Veſtræ Beati-
„ tudinis humillimè procumbentes ſupplices rogãt,
„ ne committat, pro ea, qua vti Chriſti Vicarius
„ ipſos complectitur paterna charitate, priuari ſe
„ cœleſti beneficio, quo tantum Paſtorem largien-
„ do diuina clementia ipſos ditauit. Is enim eſt
„ qui ſingulari ſtudio, & admiranda comitate cle-
„ rum rudem, moribuſque incompoſitum, ſeu veli-
„ mus ſenes, ſeu iuuenes, oratione, opere, in pri-
„ miſque exemplis vitæ optimis ad Eccleſiaſticam
„ diſciplinam formauit, &c.

Infrà

„ Paſtor pientiſſimus quicquid ſibi ex tenui vi-
„ ctu ſuo, modicæque familiæ ſumptu, atque hu-
„ mili cultu ſubtrahere poteſt, hoc in ſubleuandos
„ egenos totum erogare, totum profundere in mo-
„ re habet, & in ſtructuram nouæ Eccleſiæ Cathe-
„ dralis, ædiumque Epiſcopalium, quæ quidem
„ ędificia omnino neceſſaria ibi nulla prorſus exta-
„ bant. Et ſanè pauperes acerbiorem famis, ac pe-
„ ſtilentię calamitatem ſuperioribus annis ſenſiſ-
„ ſent, ni ipſe magnam vim frumenti milij, orizæ,
„ aliarumque frugum ex continenti aduehi, ac ple-
„ bis ſuę egeſtati occurrens gratis diſtribui cura-
„ uiſſet. Eius præterea domus perpetuum miſero-
„ rum Clericorum, & Sacerdotum Diœceſis hoſpi-

tium

„ tium eſt, quos ipſe alere, quos ſubleuare non de-
„ ſinit, &c.

Scriptoribus alijs ſicut ipſe materiem,ita illi præconia prębuere non vulgaria. Expedio pauca. Folieta in elogijs Clarorum Ligurum, cõmemoratis quæ de Dominico Saulio Patre, & Philippo Patruo, ac Brugnatenſi Epiſcopo ęterna memoria digna sũt, ad Alexandrum ita deſcendit.

„ Domeſticę Sanctitatis gloriam ſubſecutus eſt Folieta.
„ Alexander, huius ipſius Dominici filius; patrui
„ potius quam patris virtutum ęmulus. In ipſo
„ enim adoleſcentiæ initio, lumine diuinitus menti
„ pręlato, in Cœnobium procul a iuuentutis illece-
„ bris conceſſit, arctiſſimiſque vitæ inſtitutis ſe ſe-
„ dicauit, atque in morum ſanctitate, & ſacrarum
„ rerum doctrina ita proceſſit, vt eius nomen in
„ Pij V. notitiam venerit, qui iuueni priſcorum
„ inſtituto viuenti, proculque ab Aula, atque ab
„ omni ambitione, omnique cogitatione eiuſmodi
„ degenti, Alerienſem Epiſcopatum vltro man-
„ dauit, recuſantemque,& retractantem impoſitum
„ onus pro imperio, proque iure Sacroſanctæ pote-
„ ſtatis accipere coegit. Hæc ille, ad vlteriora non progreſſus, quia eodem tempore ſcripſit, quo primum Alexander ad Epiſcopatum promoueretur.

Paſtoralem ſolicitudinem Alexandri teſtatam facit Io. Rhò e Soc. IESV inter varias virtutum hiſtorias, lib. 1. cap. & num. 12. Saulium, inquiens, quem ad virtutem Clericorum Regularium S. Pauli Decollati diſciplina formauit, atque ad Paſtoralem laudem Caroli Borromęi inſtitutio produxit; Aleriani primum in Corſica, mox Ticinenſes Epiſcopũ habuere, de quo, vt omnia veterum Epiſcopo- Io. Rhò Soc. Ieſu.

rum

„ rum decora cōmemorari poſſunt, illud vnum non „ prætereundi puto. Alerianam diœceſim ita ſuperioribus bellis attritā accepit, vt & pauciſſimi eſſent Sacerdotes, & Curiones ipſi in maxima rerum „ diuinarū ignoratione verſarentur. Ergo vt malo, „ quod per longas moras inualuerat, remediū quam „ citiſſimū afferret, Curiones ipſe domi ſuæ de ſuo „ alere ac docere inſtitit, tāta ſedulitate, vt quos rudes omnino diſciplinæ acceperat, breui tolerabiles reddiderit, & curijs non pœnitendos. Nihil „ indignum Paſtori eſt, quod ouibus conducat.

Paulus Bellonius.

Paulus Bellonius I.C. in Ticinenſi Gymnaſio legum interpres primarius, pòſt Regius Senator Mediolani, cum luculenta oratione (quæ ſtatim Typis excuſa prodiuit) ſublimia Alexandri geſta proſecutus fuiſſet, vt reliqua ampliſſimi ſplendoris omittam, ita abevntem e mortalibus alloquitur. O te „ fælicem, Sauli, quem nunc perſanctè veneror, „ hiſque vocibus libet affari, Terque, quaterque „ Beatum, cuius vitam tam honeſta, & laudabilis „ mors eſt conſecuta; cuius mors veram, & im„ mortalem vitam peperit. O fęliciſſimos labo„ res qui immortalia præmia ſunt cōmeriti! O no„ ctes euigilatas, quæ tantam ſibi circumfuderunt „ lucem, quietemque attulerunt ſempiternam! O „ Beatum Epiſcopum priſcis illis viris vitæ inno„ centia conſpicuis comparandum.

Ioannes Bellarinus.

Audiamus quid de Alexandro, in quęſtione vitæ, coram iudicibus conſtitutus retulerit Io: Bellarinus ex eodem ordine Clericus Saulio coniunctiſſimus, eximia pietate, ac eruditione, editiſque libris notiſsimus. Is enim poſt multa ſic habet.

„ Animaduerti coiſſe in Alexandro res longè diſcre-

„ diſcrepantes; quarum vel in ipſis virtutum Prin-
„ cipibus difficillima ſit, & rariſſima ſocietas: Gra-
„ uitatem nimirum cum ſingulari affabilitate; amo-
„ rem recti, & commiſerationem in errantes; im-
„ motam in bono conſtantiam, & popularem ad
„ omnes ciuilitatem; ſeueritatem iudicis tetricam
„ in ſemetipſum, matris in alios quoſcunque be-
„ nignitatem, ac beneuolentiam. Denique ſingu-
„ la tum quę fama percepi, tum-quę oculis ipſemet
„ vidi, attentius cogitans, virtutes planè vniuerſas
„ hoc eſt, ſiue morales, ſiue Chriſtianas, ſiue quæ
„ Religioſi ſunt hominis, ſiue etiam Epiſcopali ſub-
„ limitate fulgentis, in eo conſpexi, pro ſtatus
„ conditione florere ſingulas gradu celſo, innixas
„ autem profundiſſimo fundamento humilitatis, &
„ alta, ac rectiſſima mentis intentione. Cui parum
„ ſemper eſſet, quicquid vnquam feciſſet; egregia
„ facta mage egregijs ſuperare totis ſemper conni-
„ tens viribus, & perpetuo æſtuans deſiderio, vt
„ omnes ad Chriſtianę perfectionis faſtigium ſe-
„ cum ſubleuaret.

Anacletus Siccus in aureo libro Eccleſiaſticæ hymnodiæ conſilijs noſtris optimè ſubſcribit. Tan- Anacletus Siccus.
„ quam, alter Moyſes, inquiens, vt animas ſibi cõ-
„ creditas poſſet facilius, & ſecurius dirigere ad
„ viam ſalutis, dum in Inſula Corſicæ Epiſcopus
„ eſſet, cuius etiam dictus eſt Apoſtolus, quamuis
„ per totum anni tempus eſſet Sacrę hymnodiæ ſtu
„ dioſiſſimus, ita vt non contentus ſolito hymnodiæ
„ vſu quem cum ſuis Canonicis in Choro ſemper
„ explere conabatur, ſolus in proprio oratorio aliũ
„ prętera hymnorũ numerũ recitare quotidie vel-
„ let, genibus sẽper poſitis, & aperto capite; tamen
&c.

Michael Iuſtinianus.

Abbas Michael Iuſtinianus Patritius Genuenſis, & Vicarius Apoſtolicus Alerię, Eccleſiaſticæ rei peritiſſimus, dum in erudito libro ſuarum Conſtitutionum complures authore Alexandro Epiſcopo, eiuſque exemplis inniti demonſtrat, quid aliud quã pretioſiſſimam illi ex varijs lapillis coronam ſerit, nulli ambiguum relinquens, primas eius beneficij laudes in Alexandrum Præſulem refundendas?

Lib. 1. tit. 6. 7 Lib. 2. tit. 1. 41 Lib 3 c. vnico &c. Et in indice Epiſcoporũ num. 27. in fine.

Adijciam geminum a ſucceſſoribus Alexandri ſũmi honoris iudiciũ. Octauius Belmuſtus primus ab Alexandro Antiſtes Alærię, ac poſtmodum S. R. E. Cardinalis eximias illius tum viuentis virtutes admiratus defuncti merita tanti fecit, vt nulla non die ſe illius precibus, ac patrocinio comendaret; cuius propterea appenſam imaginem conſpectui ſuo perpetuo patere voluit.

Octauius Belmuſtus.

Nihil quicquam Belmuſto cedit, quod Io: Baptiſta Bilia Papienſis Epiſcopus, Alexandri itidem ſucceſſor facto eſt perſecutus. Is enim ſepulchro huius Serui Dei eam venerationem adhibebat, vt licet nullis adhuc repagulis ſeptum eſſet tamen incedens cauit ſemper, ne pedibus protereret; quin alterutrum latus legens, profundè caput illorſum inclinabat; violatæ Religionis crimen, ni faceret, arbitratus.

Io: Baptiſta Bilia.

Quod quidem reuerentiæ genus vniuerſim pariter a populo Ticinenſi adhibitum fuit, dum illorum nemo ſepulchrũ incedendo terere auderet, irreligioſum nimis putans, pedes eò loci ponere, vbi tanti Antiſtitis oſſa ſubeſſent, cuius ſperarent diuina merita certiſſimis aliquando ſignis a Deo propalanda quemadmodum ſucceſſu temporum res probauit.

Populus Ticinenſis.

Non pœnitebit inter hæc reponi, quæ duo Ticinenſes

neaſes doctrina, & eloquentia clariſſimi Scriptores de Alexandri publicis honoribus, & actis Teſtes oculati retulere.

Siquidem Antonius Maria Spelta Antiſtitum eius Eccleſię vitas, & geſta Italico ſermone conſcribens, „ vt ad Alexandrum deuenit ita ferè exorditur. Si „ quis aliquando refulſit in ſolio noſtro Papienſi „ dignus Epiſcopus, is in primis fuit, cœterorum „ planè digniſſimus, Alexander Saulius, cuius eſt „ vſqueadeo explorata integritas vitæ, morumque „ ſinceritas, vt Angeli verius quam hominis cogno- „ mento decorari deceat ab ijs, qui aliquantulam „ de eius probitate notitiam habuere, &c. Antonius Maria Spelta.

Infra de eiuſdem actis in Corſica. Quis, inquit, „ ſatis ampla narratione complectatur, quo ille „ ſtudio, diligentia, Charitate Alerienſem Epiſco- „ patum adminiſtrarit? ſua morum ſuauitate, & „ gratia id conſecutus, vt incolæ a-natiua barbarie, „ in qua erant enutriti, ad Chriſtianam manſuetu- „ dinem, pietatem, ac probitatem traducerentur: „ admirantibus vniuerſis tantam in Antiſtite vim, „ & efficacitatem. Inſtituit, fundauit, &c.

Breuiori ſed raro encomio plura expreſſit Henricus Farneſius, emblemata ingreſſus triumphalis in- „ terpretatus. Fuit, inquit, Plenum lętitię ſpecta- „ culum. Longa hac phalange circumſeptus Sau- „ lius tenebatur: Vir citra huiuſmodi honores ſpe- „ ctaculo dignus. Tum explicans Cereris emble- „ ma, Eſt enim, inquit, Saulius vnicum virtutis „ ſpecimen, ornamentum Patrię, lumen Reip. virtu- „ te, fama, rebus geſtis ſplendor ſui Ordinis: in eo- „ que Cereris retinet vtilitatem, quod non poteſt „ ſine fructu publico, & commodo reſpirare, &c. Henricus Farneſius.

Digitized by Google

Complura quæ ſuperſunt eiuſdem ſplendoris præconia, quo ſatietas euitetur, ſilentio transgredior. Libet modo Apophtegmata nõnulla per Corſos Teſtes enunciata in compendium mittere. Munificentiam Epiſcopi apud Iudices commendans quiſpiam „ aiebat, Omnium erat, quicquid ille haberet: is „ duntaxat bonis vltro ab eo oblatis nõ fruebatur, „ qui nolebat. Charitatem alter extollens, Per- „ multarum, inquit, paginarum volumina haud „ quaquam opera charitatis illius immenſa conti- „ nuerint. Ille abſceſſum deplorans, Mehercule, „ inquit, nulla vnquam nobis ſæcula reddent Ale- „ xandrum. Fuit qui orantis meritum,& efficaciam „ ita efferret, Quicquid orans poſtularet optimus „ Dei Seruus, id conſequebatur. Manſuetudinem „ miniſter retulit hiſce verbis, Vir erat pane ſua- „ uior, quem numquam viderim ſubiratũ. Altiſſi- „ ma Chriſtianæ perfectionis ſuperauit faſtigia, aſ- „ ſerebat vir Religioſus; Qui prope ad eum acce- „ deret, vidi neminem. Celebritatem famæ admi- „ ratus eſt ille,cum diceret. Quacunque iter agens „ conuertor ſpiratur de Alexandro Sanctiſſimæ fa- „ mę ſuauiſsimus odor. De extaſibus quidã, Quid „ extaſis ſit, non noui: Sed inter ſacra ſemimortuũ „ illum, & animam pene exhalantem vidi ſæpiſſi- „ me,ex Dei,dicebatur, familiari cõſortio. Auſus eſt „ etiam non nemo dicere, Stupebam funeri non „ illico ſuccedere publica miracula,cum a viuente „ tam miranda opera patrari, & viderim, & au- „ dierim. A concione cum recederemus affirmat, „ nonnullus,vna erat omniũvox:O te Beatum! qui- „ bus nos documentis, quibus nos exemplis ad ea, „ quę recta ſunt dirigis? Ille ſuperbam mihi men-

tem

„ tem dicendo infringebat,ait quidam,& remittere odia compellebat. Ad quæſitum Iudicis reſpondit
„ quiſpiè,quod quæris nunc memoria nō teneo, ita
„ tamē eſſe credo: etenim tā clari,ſanctiq;nominis
„ erat vir iſte,vt nil de eo ſit incredibile. Quacunq;
„ ille per diœceſim iter haberet, dixit alius, eius
„ aduentu ſingulorum ſenſus, & corda exilarata
„ geſtiebant,arbores ipſæ feſtiuè tripudiabant. Trecenta eiuſdem notę apophtegmata ſilere præſtat, vt tandem Saulio illuminatum omnibus gemmis diadema,& noſtris ſermonibus coronidem imponat Iuſtinianus alter, Aleriæ itidem ſecundus ab Alexandro Epiſcopus.

Fr. Decius Iuſtinianus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Alerienſis.

„ QVEMADMODVM Paſtores populis diuinitus conſtituti grauiſſimos pro concredito ſibi regendo grege labores in vita pertulerunt, ita nobis
„ laborandum eſt, vt egregia ab ijs edita facinora,
„ rerumq; ſumma cum laude,ac pari pietate geſta-
„ rum memoria, ab interitu vindicentur. Sanè
„ Alexādri Saulij Alerienſis olim Antiſtitis merita,
„ benè, rectèq;actę vitæ ratio, eo progreſſa ſunt, vt
„ difficilis futura ſit cuiuſcumque immitatoris ęmu-
„ latio, cuius nos non tam in dignitate ſucceſſores,
„ quam operum admiratores,longè ſectando veſti-

„ gia veneramur. Fuit vir ille huius Alerienſis Ec-
„ cleſiæ, quam ſuſcipiens ſeruauit, gubernaculis
„ admotus: quo cum appuliſſet, bona Eccleſijs ad-
„ dicta in damnabiles laicorum vſus conuerſa, ac
„ diſſipata recuperauit, Clericalem diſciplinam
„ lapſam, extinctamque refouit, mores hominum
„ deprauatos, totamque fermè rem Eccleſiaſticam
„ ob bellorum, quę diù la tèque per Inſulam con-
„ flagrarant, calamitates, funditus euerſam, diuina
„ qua fuit prudentia, compoſuit: itaut facultatum
„ Eccleſiaſticarum reſtitutor, Clericalis licentiæ
„ corrector, morum emendator, totiuſque præſen-
„ tis Eccleſiæ ſtatus conſeruator extiterit: quam
„ deſtitutam deformemque a ſe ſuſceptam ſartam
„ tectam, florentemque venientibus tradidit; me-
„ ritoque accepta illi ferenda ſint huius Eccleſiæ
„ commoda, quorum auctor fuit, qui reliquit exē-
„ plum. Extant ſiquidem ſaluberrima conſtitutio-
„ num decreta, quibus optimè animarum ſaluti
„ conſuluit, ſuarum ipſemet legum conditor pariter
„ ac obſeruator.

„ „ In ſummo honore penes populos habebatur,
„ quos nedum æquiſſimis Sanctionibus, ſed inte-
„ gerrimis, ac incorruptis moribus, ſuique in pri-
„ mis imitatione, qua nulla eſt pręſtabilior diſci-
„ plina, erudiuit; Sacros Eccleſiaſticos ritus, & ob-
„ ſeruationes in vſum reuocauit; cultum diuino-
„ rum, pariter temporum iniuria, hominumque in-
„ curia obſoletum reduxit, cuius tam euixè deſide-
„ rauit incrementum, vt ex annuis menſæ Epiſco-
„ palis redditibus certam ſummam deducendam,
„ Capituloque applicandam, ſex alios Canonica-

tus

„ tus ad propagandum, augendumque diuinum
„ cultum erigendos, certam quoque ſummam pro
„ Seminario ad alendos, educandoſque pueros ab
„ eadem Menſa ſeparandam curauerit: Eccleſiæ
„ præterea dirutæ Cathedralis, ædeſq; Epiſcopales
„ a fundamentis, proprijs ſumptibus, extruxit.
„ Vt omnium vero paſtoralium virtutum lau-
„ dè, ita inexhauſta erga pauperes miſericordia
„ enituit, in quos tam effuſus, ac piè prodigus fuit,
„ vt id verè ſuum diceret, quod in egenos impen-
„ debat, quibus in anguſta, extremaque annonæ
„ difficultate educandis vna tantum ratio fuit, bo-
„ ni ſcilicet Paſtoris pietas, quos etiam larga manu
„ fouere, augere, amplecti, nedum caduco, & tem-
„ porario, ſed etiam immarceſcibili, ac cœleſti
„ diuinæ eloquentiæ cibo alere conſueuit, dum ip-
„ ſemet in templo Chriſtianæ fidei rudimentorum
„ pueris, domi verò prouectioribus caſuum con-
„ ſcientię aſſiduus aſſiſteret explanator.
„ Pecuniarum vſu ita abſtinuit, vt ne trita qui-
„ dem eorum pretia dignoſceret. Cæleſtem certè,
„ ac Superis ſimillimam vitam in terris agitauit,
„ quam vt gratam, ſibique acceptiſsimam D.O.M.
„ expreſſis ſignis, ac ſupra mortalium vires mirifi-
„ cis comprobauit argumentis. Tam eximia deni-
„ que, ac ſingulari animi præſtantia fuit, totque,
„ ac tanta omnifariam probitatis, Religionis, inte-
„ gritatis, ac ſanctimoniæ de ſe exempla tradidit,
„ vt ingentium fama virtutum, totam hanc Inſulã
„ ſui admiratione, venerationeque compleuerit;
„ omneſque de eo mirabiliter & loquantur, & ſen-
„ tiant, virque inter hos incolas immortali Cæli-

tum

„ tum conſortio dignus cenſeatur: licet nos impa-
„ res tot meritorum æſtimatores certi nihil arbitra-
„ ri audeamus. In quorum fidem has pręſentes lit-
„ teras noſtra propria manu ſubſcriptas, ſigillique
„ noſtri impreſſione munitas per infraſcriptum no-
„ ſtrum Cancellarium fieri iuſſimus. Dat. Campo-
„ laurei in ædibus noſtræ Epiſcopalis reſidentiæ
„ die 8. menſis Iunij 1621.

„ Porro hoc vitæ Breuiario quid amplius offeratur, quidve cumulatius? Mira, & incredibilia feruntur, quæ mortem conſecuta ſunt miracula, priuata, publica, ſed præterquamquod illa euulgari non patitur Sanctæ Sedis Apoſtolicę reuerentia, non huius libelli perbreui ambitu poſſe me complecti puto. Vnum illud, quod olim Bellonus in ſua oratione, (Paulus Bellonius.)
„ producatur. Tandem inquit, Saulij vitę Sanctita-
„ tem conteſtantur tot illius pictæ Imagines, tot
„ votiuæ tabellæ, tot dona, quot non ſolum in
„ Templo primario huius Vrbis, ſed alibi paſſim
„ conſpiciuntur. Neque vero ſolum illius fama
„ Genuæ, Corſicę, Ticini finibus ſe continet, ſed ad
„ exteras quaſque, & remotas gentes, & nationes
„ longè, latèque peruaſit. Nemo noſtrum eſt qui
„ votorum erga Saulium non ſit reus, &c.

FINIS.

PROTESTATIO.

LECTOR *aduerte in Elogijs Ven. Serui Dei Alexandri Saulij, cuius vitam in hoc libro complexus ſum, nonnulla me attingere, quæ ſanctitatem ipſi videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab eo geſta, quæ cum vires humanas ſuperent, miracula videri poßunt, præſagia futurorum, reuelationes, illuſtrationes, et ſi quæ ſunt alia huiuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eius interceßione diuinitus collata. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam quæ a ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter, quam humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum* Sac. *Congregationis S.R. & Vniuerſalis Inquiſitionis decretum anno* 1625. *editum, & anno* 1634. *confirmatum integrè, atque inuiolatè iuxta declarationem eiuſdem Decreti a Sanctiſs. D.N.D. Vrbano Papa VIII. an.* 1631. *factam ſeruari a me omnes intelligant, nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquã per has meas narrationes ipſi arrogare, vel famam, aut opinionem ſanctitatis inducere, ſeu augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando ipſius Beatificationem, vel Canonizationem, aut mira-*

Mm *culi*

culi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu a me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quam decet eum, qui Sanctæ Sedi Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.

Ego Don Io: Auguſtinus Gallicius Cl. Reg. S. Pauli.

397.716

INDICVLVS

Digitized by Google

INDICVLVS
RERVM.

A

ALERIA vrbs Corſicæ, Syllæ colonia, Reip. Genuenſi ſubdita, &c. 60.
Alerienſis Eccleſiæ turpis facies, & corruptelę. 78.
Alexand. Saulius vocatus Angelus à Greg. XIV. 148.
Etiam dictus Apoſtolus Aleriæ, & quare. 151.
Alexandrina Eccleſia olim non eſt vſa inflexionibus in cantu. 48.
Alphonſus Vicecomes Card. alumnus Alexand. 56.
Alphonſus S.Petri primus Archidiacon.Aleriæ. 146.
Ambroſius Rotulus adiutor Alexand. 74. In pluribus illi vtilis. 103. 139. 167. 168. &c.
Amore magis quam timore reguntur homines. 49.
Antonius Maria Zacharia vnus e fundatoribus Congreg. Cleric. Reg. S.Pauli. 12.

Digitized by Google

Angelicarum S. Pauli monaſterium Mediolani . 58.
eoſdem habet fundatores , ac Clerici. ibid.
Angelus Barbonius perorat Papiæ in ingreſſu Alexand. 159.
Angelorum cantus auditi dum ſacrum facit . 200.
Angelos vt colit . 197.
Angelorum Hierarchias vidiſſe dicitur . 170.
Anacletus Siccus de Alexand. 265.
Ant. Maria Spelta de eodem . 267
Angelus pacis. 241.
Apparatus domeſticus tenuis . 233.
Arma in Eccleſias deferri vetat . 116.
Aſtulphus Seruus Alexand. ab eo ſanatus . 134.
Augurium in aditu Corſicæ. 81.
Auguſtinus Cardinalis Cuſanus alumnus Alexandri . 56.

B

BACCIVS de Alexand. 259.
Baſtita arx Corſicę , & Sedes Gubernatoris . 81.
Diœceſis Marianenſis . 108.
Baptiſmi miniſterio vacat Alexand. 104.
S. Barnabæ Cœnobium in ſuburbijs Mediolani. 12
Templum illius abſoluit,& ornat Alexand. 47.
Barnabas Cornazanus miſſus in ſubſidium Alexand. 74.
Baſſignanum oppidum Lomelinæ . 165.
Bartholomæus Ferrarius vnus e fundatoribus Congreg. Cleric. Reg. S. Pauli. 12.
Bartholomæo Mucantio reddita ſanitas . 183.
Bendinellus Saulius proauus Alex. inſigne templũ

Saulio-

Sauliorum Genuæ erexit. 5
Benedictionum vis. 134
Beneficiorum legitima diſtributio, 127
Breuiarium Pij V. in vſum inductum. 48

C

S. CArolus Borromeus ſacrauit Alexādrum Epiſcopum, in ſua Metropolitana: Donauitque de ſuo veſtimenta Pontificalia. 70
Denunciauit præceptum Pontificium. 68
Ab eo accepit artem Paſtoralem concionandi. 101.
Quibus in rebus vſus ſit opera Alex. &c. 250. per totum cap.
Collatio B. Caroli, & Alex. 253. per totum cap.
Eorundem congreſſio Romæ. 112.
Epiſtola S. Caroli de Alexand. 62. & 257.
S. Carolus non eſt fundator noſtræ Congregationis ſed patronus. 249.
Carolus a Baſilica petri quid ſentiat de Alexand. 258. Tertium Præpoſ. Congreg. poſtea Epiſc. Nouarienſis. 155.
Caritas magna annonæ in Corſica 128. & 143. Item Romæ. 216. Quomodo ſubuenerit Alexand. ibid.
Canonicis Aleriæ augentur ſtipendia, & numerus. 145.
Coguntur reſidere prope Cathedralem, & obire diuina officia. 146.
Eriguntur illorum habitationi ædificia. 127.
Cathecheſes vbique inſtitutæ. 90. 94.
Calozzum in Comitatu Aſtenſi. 165. Ibi moritur Alexand. & eius viſcera illic aſſeruantur. 170.
Cadauer Papiā delatū ſepelitur in Cathedrali. 171.

Carlota Rotaria ægrotante auidè famulatur. 165
Caſtitatis cuſtodia 9. & 232
Cantum, & hymnodiam in Cœnobio moderatur Alexand. 48 Curat alibi. 198
Cancellariæ officium non eſt paſſus diuendi. 229
Canariam ad inſulam ſedatur tempeſtas. 189
Cæruio vicus plebis Campilaurei, 126. Ibi ſedem Epiſcopalem ponit Alexand. ibid.
Cathedralem, Palatium, Seminarium, Aedes Canonicorum, & Xenodochium ibidem ædificat. 127
Cœremoniarum ſacrarum cura. 202
A cella ad cælum breui tramite peruenitur. 23
Charitas erga Deum. 190. per totum cap.
Charitas erga proximum. 206. per totum cap.
Clericorum regularium S. Pauli origo, & c. 11. approbati a Clem. VII. & Paulo III. 12. Aliqua eorum aſpera exercitamenta. 16. 27
Vnde dicti Clerici S. Pauli. 37. Primi Clerici Regulares in vrbe Mediol. 249. Strauerunt viam S. Carolo Borrom. ad illam pietatem quam ipſe poſtea perfecit. ibid.
Obſequium, & reuerentia huius Congreg. erga S. Carolum, & alios Epiſcopos. ibid.
Clerus, & populus Alerienſis de Alexandro. 262
Clericalis vita monaſticæ præfertur ab Alexand. 23
Contemplatio diuinorum longe anteferenda humanis litteris. 24
Per illam non auocatur Alexand. a muneribus epiſcopalibus. 194
Collationes ſeu conuentus Patrum ad pia colloquia, aut ad accuſationem culparum. 22. 59. Illis frequens aderat Fr. Michael Ghiſlerius qui & Pius V. 59

Collatio S. Caroli cum Alexād. 253. per totum cap.
Conſtantia Alexand. 88. & ſeq.
Concilij Tridentini acta in vſum primus inducit in Corſica. 92.
Eiuſdem Conc. acerrimus propugnator. 160.
Contumax cogitur obedire Eccleſię. 125.
Concionibus incumbit Alexand. 34. per totum cap. & 98. per totum.
Conciones habitæ tempore peſtis. 131.
Corſorum gemitus de traductione Alexand. 139.
Eorundem epiſtola ad Pontificem. 140
Item varia apophtegmata de Alexandro. 268
Confirmationis vſus diu neglectus ab eo ſuſcitatur. 105.
Curtis vicus plebis Talcini. 82. Ibi reſidet Alexand. & domum ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ædificat. 124
Crucem publicè defert in habitu ſæculari per compita Mediol. 16.
Item in ſupplicationibus Iubilæi. 122. & tempore peſtis. 131.
Cura ſtudiorum liberalium. 53. Nouitiorum. 52. Infirmorum 54. 213. & ſeq.
Conſultorum ſententijs pluſquam ſuæ defert. 50
Conatus Patrum ne aſſumeretur ad epiſcopatum. 94
Comites illi dati cum abiret in Corſicam. 74

D

DAEMONES territantur præſentia Alex. & quieſcit energumena. 295
Deſidia nouerca virtutis. 10
Derthonenſem epiſcopatum recuſat. 142
Decius Iuſtinian. Epiſc. Aleriæ de Alexandr. 269

Diſci-

Diſciplinam regularem impensè fouet. 49.
Diaconatus Alexand. 91.
Dominicus Saulius Pater Alexand. Eius dotes, officia, & res geſtæ. 3. Legationes. 4. Chariſſimus duci Medolanen. & Carolo Cęſari. 3. Cura educandi filios. 6. Senex rogat ſibi concedi filiū 43. mors. 76.
Dominicus Boerius de familia Dom. Saulij in Cœnobium tractus. 56.
Dos ſubminiſtratur puellis egenis ab Alexandro. 219.

E

ECCLESIA abſq; prædicatione Epiſc. pratum eſt ſua ſiccitate aridum. 102.
Eccleſ. Cathedr. ædificat Alexand. Ceruione. 127.
Eccleſ. pinguiores non prætslit Alerienſi. 149.
Eccleſiaſticam authoritatem tuetur. 229.
Egenos 400. ac etiam 500. quotidie paſcit tempore caritatis magnæ. 129. 144.
Eleemoſinæ. 207. & ſeq; & alibi ſępe.
Quicquid ſupereſt familiæ diſpertit agenis, &c. 211.
Encomia de Alexand. a varijs authoribus deſumpta. 256. per totum cap.
Epiſcopi fama pręferenda rei domeſticæ. 156.
Fpiſcopis honordebitus. 158.
Epiſc. debet ſuo neglecto, cultui diuino intendere 147.
Epiſcopus Papienſis vtitur pallio Archiepiſcoporum. 149.
Epitaphium Alexand. 172.

Epiſto-

Epiſtola S. Caroli de Alexand. 62.
Epiſtola Card. Serbellonij de eodem. 65.
Epiſtola item Cleri, populiq; Alerienſis. 140.
Equorum placiditas ad Alexand. 240.
Experimenta vocationis Alexand. 13.
Extaſes frequentes. 193.& ſeq. In miſſa. 200.
Exercitia ſpiritualia annuatim peragit. 195.

F

FAMILIAE Vicecomitum, Cuſanorum, Sfondratorum, & aliæ ab Alexand. inſtitutæ Mediol. 56. & ſeq.
Familia Alexand. magis Religioſa, quam Curialis. 155. Regulæ præſcriptæ, 223.
Fides Alexand. 175. per totum cap.& 168.
Fidei lumini ſociat radios S.Theologiæ. 178.
Ficus ſublatæ de reliquijs Alexand.ſoſpitales. 116.
Fletus maximus in eius diſceſſu ab Aleria. 150.
Forma, & ſtatura corporis, 170.
Fortitudo animi. 230. per totum cap.
Folieta de Alexand. 263.
Franciſcus Staulus de familia Dom.Saulij in Cænobium ab Alexand. trahitur. 56. Miſſus in Corſicam cum illo. 74.
Franciſci Panigarolæ dictum de concionibus Alexand, 100.
Franciſcus de Sales Epiſcopus Gebennen. vir ſapientiſſ. 180.
Eius de opuſculo Alexand. encomium. ibid.
Franciſcanorum Cœnobium per Alexand. reparatur. 184.

Funebria reddita defunctis poſt peſtem. 125.
Funeris pompa Papiæ. 171.

G

GENVA Metropolis Liguriæ. 3.
Genuenſis magiſtratus gratias agit Pio V. de promotione Alexand. 77.
Genuenſem Archiepiſc. recuſat Alexand. 136.
Gratiæ Deo redditæ poſt peſtem. 135.
Grando auertitur precibus Alexand. 204.
Gregorij XIII. electio. 109. Benigne Alexand. amplectitur, & petita concedit. Penſionem. 300. aureorum pro Seminario confirmat 111. Decernit non amoueri ab Aleria. 142. plurimum illi fauet. 261.
Gregorij XIV. electio. 147. Olim in pietate alumnus Alexand. 56. vocat illum Angelum. 148. & 261. Purpura Cardinalitia inſignire deſignat. 153. Dulcia amborum colloquia. ibid. Illius mors. 156. Vnde Alexand. preuidit ſuam. 157.
Gregorius Aſinarius ægroto miniſtrat, morienti adeſt. 169.

H

HAERETICI publica abiuratio. 114.
Hercules Rotarius Dyanſta Calozzi Alexād. ægrotantem hoſpitio recipit, & curat. 165.
Hebræorum conuerſio ex ſermone Alexandri. 177.
Henricus Farneſius de Alexand. 277.

Hiere-

Digitized by Google

Hieremię prophetæ lamentationes ſibi prælegi iubet ante mortem. 169.
Hieronymus Ragazzonius Epiſc. Bergom. aſſiſtens conſecrationi Alexand. 70.
Hieronymus Maria Martha Præpoſ. Cleric. S. Pauli. 12.
Hyppolitus Rubeus Epiſcop. Papien. aſſiſtens conſecrationi Alexand. 70. Eius mors. 148.
Hyppolitæ Brippiæ prædicitur morbi relaxatio. 184.
Hymnodiæ cura. 198.
Hoſpitium aduenis erigit Ceruione 127.
Hoſpitalitatis exempla. 214. & ſeq.
Horarum diſtributio. 225.
De eius Humilitate. 265. per totum cap.

I

IACOBVS Ant. Morigia vnus e fundatoribus Congreg. Cler. Reg. S. Pauli. 12.
Eius dictum de diſpoſitione ſuorum Clericorum ante profeſſionem. 267.
Iacobus Ant. Carolus perorat in funere Alexand. 171.
Iacobus de Bruzatoribus miſſus in ſubſidium Alexand. 74.
Infantulo vita ſeruatur ab Alexand. 218.
Infirmorum cura. 213.
Inſignia domeſtica Sauliorum nullibi vult apponi. 227. 247.
Io: Baptiſta Raſarius Alexand. magiſter. 7. de eius eloquentia, & doctrina. ibid.
Io: Petrus Beſutius Præpoſitus vota Alexand. ſuſcipit.

ſcipit. 26.
Io: Baptiſta Montius morbi moleſtia liberatur. 116.
Io: Ant. Gabutius de Alexand. 261.
Io: Petrus Giuſſanus de eodem. 258.
Io: Rhò e Soc. Ieſu de eodem. 263.
Io: Bellarinus Cler. Reg. S.Pauli de eodem. 264.
Io: Baptiſtę Biliæ Ep. Papien. reuerentia. 266.
Irarum, & rixarum extinctor Alexand. 241. per totum cap.
Iulius Camillus Delminius linguarum peritia inſignis, & libris editis. 7. Primus Alexand. magiſter. ibidem.
Iura Eccleſię ſuę tuetur. 49.
Iubilæi celebratio. 121. Quę tunc egerit Alexand. ibidem.
Iuſtitia Alexand. 226. per totum cap.

L

LAVREA S.Theologię inſignitur. 40.
Ad S. Laurent. extra muros concionatur coram Pontifice. 118.
Leges præſcriptæ comitibus Alexand. euntibus in Corſicam. 75.
Leges boni regiminis. 46. & ſeq.
Leges datę miniſtris Eccleſiæ. 48.
Leges ſpirituales in domo Alexand. 223.
Lectioni paucorum bonorum authorum inſiſtat qui vult proficere. 29.
Lectione libri ſpiritualis vult ſuppleri concioni. 103.
Liberalitas in pauperes, 129. 207. & ſeq.

Libe-

Liberalitas in Congregationem ſuam. 210.
Libellos ſupplices facilis accipit. 227.
Luciç ſorori quæ mittebat munuſcula conuertit in pauperes. 212.
P. Lupus Capucinus biennio hoſpitatur cum Alexand. 103.

M

MAGISTRI Alexand. 6.
Magiſteria ſua, methodus, ſcopus, &c. 38. & ſeq.
Cultus erga B. Mariam Virginem. 8. & 197.
Manſuetudo. 235. per totum cap.
Heroicæ manſuetudinis exempla. 237. per totum cap.
Magiſtratus Genuenſis de Alexand. 261.
Michael Iuſtinianus de eodem. 266.
Meditandi vias, & methodum Clero tradit in Synodo. 95.
Micæ panis ſublatę de menſa Alexand. ſalutares. 116.
Miſſam quotidie celebrat. 201. Cura ne alij deſint. ibid.
Miniſtros munera acceptantes increpat. 228.
Monaſteriorum curæ vacat. 57.
Præcipuè Angelicarum S. Pauli Mediol. 58.
Mortem vicinam prædicit. 159.
Mortuorum cura. 219.
Monitiones eius gratę. 222.
Moribundus lamentationes Hieremiæ, & paſſionem Domini ſibi prælegi iubet. 169. Quid interim viderit. 170.

Mors

Mors, & funus. 170. & ſeq.
Mulctas pecuniarias non facile infligit. 228.

N

NAVIM onuſtam cibarijs in Corſicam mittit ſubſidio pauperum, tempore caritatis. 129
Nicolaus Sfondratus poſtea Greg. XIV. Alexand. alumnus. 56.
Nouitiorum cura. 53.
Nouitij, pauci bene morati maioris ſunt frugis, quã plures nullius vſus. 52.

O

OCTAVIVS Belmuſtus ſucceſſor Alexand. in Eccl. Alerienſ. 154.
Eius reuerentia erga ipſum. 266.
Officia permulta Alexander exercet Ticini. 41.
Oleo Sancto vngitur. 169.
Opuſcula eiuſdem. 179. per totum cap.
Ornamenta & virtutes Alexand. Præpoſiti. 44.
Ordines ſacros cautè conferre. 106.
Promouendi ad Subdiac. & Sacerdotium inſtruũtur in domo Epiſcopi. ibidem.
Oratorium S.Hieronymi Romę. 116. In eo concionatur. ibidem.
Oratorium S.Ioannis Florentinorum. 116. Ibi idem facit. 117.
Orationis, ac Religionis ſtudium. 193. per totum cap.
Orationis ſtudium neceſſarium tendenti ad perfectionem. 196.

Oratio-

Orationum vis, & effectus. 203. per totum cap.
Oratione iuuat, vbi deeſt alia via. 219.

P

PAVPERTATIS religioſę amor. 23. 234.
Papia. Vide Ticinum.
Panigarolæ dictum de concionibus Alexand. 100.
Pacificator. 124.
Pauperes pro filijs habet. 128. 212.
Pater pauperum. ibidem.
Paſſionem Domini frequens recolit 196.
Dum legitur expirat. 170.
Patientia in expectatione æditui. ibid.
Paulus V. de Alexand. 261.
Paulus Bellonius de eodem. 264. & 272.
Peccata malorum ſemina, preces antidotum. 130.
Petro Paulo Arrigonio dicatæ concluſiones. 30.
Pœnitentiæ Sacramento conferendo ſemper intentus. 105.
Peſtilentia in Corſica. 130.
Quæ ea occaſione egerit Alexand. ibid. & ſeq.
S. Philippi Nerij, & Alexand. vſus, & amicitia. 112.
Quid de iſto ille ſenſerit. 258.
Philippus Saulius epiſcopus Brugnatenſis patruus Alexand. 5.
Pius V. prius Michael Ghislerius. 59. Frequens auditor in collationibus Cleric. S. Pauli. ibid. Eius ſtudium adaugendæ Chriſtianę religionis. ibid. Promouet Alexand. ad epiſcopatum Alerię reijcit conſilium imponendæ penſionis. 69. Eius dicta de Alexand. 259.

Obitus

Obitus. 109.
Pia exercitia Alexand. iter agentis. 110.
Pluuiæ impetratio, 203.
Prędicę ab Eccleſia eijciuntur. 114.
Prędictiones. 182. per totum cap.
Pretioſa præſtat differre, ne facile habita vileſcant. 26.
Præparationes Alexand. ad ſtudia. 28. ad ſacerdotium. 32. ad conciones. 34.
Præſes Comitiorum Ordinis. 43.
Præpoſitus Generalis. ibid.
Præpoſitus Generalis non poteſt eſſe Præſes Comitiorum. Indulgetur tamen Alexand. 44.
Præfationes non probatas tollit e libro miſſali. 48. Recenter Profeſſos retardat a dandis ſuffragijs. 53.
Prædicandi verbi Dei ſtudioſiſſimus. 98.
Prędicandi fælicitas extemporanea. 99. Concurſus auditorum propter famam ſanctitatis. 110.
Prædicationes non exangues, neq; frigidę. ibid.
Prædicare cogit Parochos aptos: & erudit Clericos Seminarij ad hoc. 103.
Procellę ſedatio prope Elbam. 119. Item prope Canariam. 189.
Procella præviſa, & euitata. 183.
Prouidentia, & liberalitas tempore caritatis. 143

R

RATIONES ſuadentes Alexand. ſuſcipere Archiepiſc. Genuen. 137.
Rationes diſſuadentes. ibid.
Rationes cur ſit dictus Apoſtolus Aleriæ. 151.
Regendi homines ars perdifficilis. 46.

Regi-

Regiminis eius leges. 46.
Reliquiarium collocat in ara maxima S.Barnabę.47
Ritus profanos ſuſtulit a Balanea. 113.
Rixas ſedandi cura. 115.
Rixarum extinctor. 241. exempla per totum cap.
Romam tendit. 109. 117. 128. 145. 153.

S

SACRAMENTORVM miniſterio ſtudioſè vacat. 104. per totum cap.
Eius ſacerdotium, & primum ſacrum. 33.
Sanctitatis pręcepta. 54.
Sanctimoniales ab eo edoctæ. 57.
Sacerdotes probi fiunt ex probis Clericis. 96.
Sacerdotes apud Alexand. aluntur, & docentur. 98.
Sacellum ædificatum in caſtro Aleriæ cui additur ſacerdos. 144.
Seminarium Clericornm erectum Taloni. 96. per totum cap.
Item Alaiolæ in Balanea. 113.
Translatum Ceruionem. 127.
Seminarij Clerici peſte infecti ſaluantur prædicente Epiſcopo. 134.
Sciendi nimiam auiditatem vt ſuperauerit. 20.
Sermo Euchariſticus ante viaticum. 168.
Sepulturam eligit in imo pauimento Eccleſiæ. ibid.
Serbellonius Cardin. de Alexand. 259.
Scipio Raymundus Theologus Eccleſiæ Alerien. 146.
Sixti V. electio. 145.
Fauet Alexand. ibid. & 261.
Synodi celebratio. 98. per totum cap.

Sodalitia laicorum inſtituta. 201.
Sobrietas, parſimonia, ieiunia, 10. 83. 89. 117. 233.
Somni vim vt vicerit. 21.
Sponſalia infantium nondum natorum abolet. 113.
De ſpe, indicia, acta, &c. per totum cap. 185.
Bene ſperanti fauet diuina prouidentia. 188.
Stipendia Canonicorum Aleriæ augentur. 145.
Studiorum regulas definit. 40. Illorum cura. 53.
Studium nitoris Eccleſiaſtici. 161.
Supplicationes, & alia opera tempore peſtis, 131.
Suffumigationes adhibitæ poſt illam. 135.
Subdiaconatus Alexand. 31.

T

TALONVM pagus plebis Opini. Ibi primam ſedem ponit Alexand. & exercet Pontificalia. 81. Ibi data initia Seminario. 97. Inde migrat, & quare. 107.
Templorum cultus. 202.
Temperantia. 232. per totum cap.
Teſtamentum condit. 167. illud comendat Philippo Leoni, & Seuerino Bellingerio. ibid.
Theologus additus Eccl. Alerienſi. 146.
Thomaſina Spinula mater Alexand. 2.
S. Thomæ ſummam memoria tenebat. 30.
Thomas Gambaudus vnus e comitibus eius. 74.
Timorem, & nimiam erubeſcentiam quomodo ſuperauerit. 221.
Ticini ſeu Papię laudes. 148.
Ticinenſis epiſcopi priuilegia. 149.
Ea ſedes opportuna Alexand. ſeni. 160.
Ticinenſium apparatus in eius ingreſſu. 158. per

totum

totum.
Ticinum flumen. 164.
Ticinenſis populi reuerentia erga ſepulchrum. 266.
Turcæ propulſi precibus Alexand. 205.

V

VERECVNDIA fida cuſtodia caſtimoniæ. 22.
Veſtes, & ornamenta ſacra comparat, Eccl. diſtribuenda. 147.
Veſtit nudos. 219.
Virtus parentum confert ad profectum filiorum. 2.
Vincentius Curtius vnus e comitibus Alexand. 74.
Viſitatio diœceſana. 84. Ritus agendi, acta, &c. per totum cap.
Vicarij Foranei inſtituuntur. 95.
Vitę auſteritas. 232.
Virgo obijt Alexand. 233.

FINIS.

Digitized by Google

Errata ſic corrigito.

LIB. I. pag. 15. lin. 1. mente menti. p. 16. l. 9. Tartareò Tartareo. p. 23. l. 15. Intetus intentus. p. 42. l. 4. ſuis humeris, pone virgulam ante ſuis. p. 44. l. 8. Congregationis Congregationi. p. 70. l. penult. Illam Illa.

LIB. II. pag. 77 lin. 22. ſcapha, dele virgulam. p. 96. l. 26. Conditioni Conditionis. p. 101. l. 2. rebat, dele punctum. p. 102. l. 22. detinetur detinentur. p. 108. l. 1. aia arx. p. 114. l. 1. diſpenſandi deſponſandi. l. 3. Eiulantes palmis, Eiulantes, palmis. p. 120. l. vlt. Balanea Balaneæ. p. 121. l. antepenult. redije; dele puncta. p. 126. CAP XX. CAP. XV. p. 135. l. 8. ccredebatur Credebatur. p. 136. l. 21. notum votum.

LIB. III. pag. 193. CAP. V. CAP. VI. p. 204. l. 21. Duo Due. 248. l. 18. Brebro Crebro. p. 249. l. 9. ſrueretur frueretur. p. 251. l. 16. feciſſet feciſſe. p. 264. l. 2. prætereundi prætereundum. p. 269. l. 5. quiſpie quiſpiam.

Leuiora facile dignoſcentur.

397.716

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google